
V
B J
C

IN FACTO ET JVRE FVNDATA

DEDVCTIO,

Eorum,

Quae ab Generosis ad nouissimum Conuentum publicum Deputatis Generosi Equestris Ordinis Ducatuum Curlandiae & Semigalliae in Ciuitatum praeiudicium & destructionem Jurium, Priuilegiorum, & Immunitatum earum pertractata, ac Laudo publico, de dato Mitauiae die 27. Julii 1746. inserta sunt.

Et

Quod Gen: Equ: Ordo nullo iure permittente hoc facere potuerit, sed Ciuitatibus potius Protectio & Patrocinium Sacrae Regiae Maiestatis, Potentissimi Regis Poloniae, tanquam Supremi & longe Clementissimi Domini sui, contra haec tentamina non sint defutura.



uae mala ciuitates Ducatuum Curlandiae & Semigalliae ab initio huius seculi ad hoc vsque tempus bellis, fame, peste & externorum militum collocationibus perpessae sint, neminem, qui historiae terrarum septentrionalium non plane hospes est, latere potest. Quarum status eo infelicior, cum omne onus solae in se suscipere saepius coactae fuerint. Loco autem commiserationis, quam a Nobilitate sibi promittere potuissent, vt salus & incrementa vrbium, cuicunque prouinciae tam necessaria, eius curis promouerentur, Ciuitates tamen non sine animi aegritudine expertae sunt, Nobilitatem potius non leuia conseruationi earum opponere obstacula, ita, vt quas adhuc habent immunitates, ipsis adimere, & suo subiicere arbitrio, atque ad se trahere, omnem nauent operam, quo necessario interitus Ciuitatum propter inde emergentem ciuium inopiam enasci debet.

Spem quidem semper adhuc fouerunt, fore, vt tristia haec tempora in melius mutentur, quae aliquando etiam affulsit, sed semper breui euanuit. Imo eo nunc ventum est, vt Generosi, ad Conuentum publicum prouincialem, qui Mitaviae die 27. Julii currente hoc anno 1746. finitus est, Deputati Generosi Ordinis Equestris suis Conclusis Ciuitates suo arbitrio subiicere, priuilegia Ciuitatum ad suam reformationem trahere, & liberam negotiationem mercatoriam in Ciuitatibus sibi attribuere, & appropriare non dubitauerint.

Exitium inde imminens Ciuitates ad Augustissimum ac Serenissimum Regem Dominum suum longe Clementissimum & Serenissimam Rempublicam confugere coegit, confidentes, vt exemplo maiorum, quos efficacissime contra eiusmodi tentamina Domini directi & supremi Reges Poloniae tutati sunt, protectione ac auxilio etiam nunc non destitutae fuerint.

Ex rescripto G. G. D. D. Consiliariorum Supremorum Regentium de dato Mitauiae die 26. Jan. anno 1746. Ciuitatibus mari finitimis Libauiae & Windauiae innotuit, quod Nobilitas liberam mercaturam cum externis aduenientibus praetendat. Cum itaque in procinctu essent, Regimini sua Jura, & iuris beneficia contra haec inferendi, iterum, & ad nominatas, & ad caeteras Ducatuum ciuitates Rescriptum de dato Mitauiae die 27. Maii a. c. emanauit, quo intra spatium 14. dierum exemplar fide dignum Ordinationum politicarum, & Priuilegiorum exhibendum singulis Ciuitatibus iniunctum fuit, quia Nobilitas questa fuerit, res Juri publico & priuilegiis Nobilitatis contrarias in iis contineri. Ex respectu G. G. D. D. Supremis Consiliariis Regentibus debito, quidem Copias vidimatas Ordinationum & Priuilegiorum suorum ipsis porrigere Ciuitates non detrectauerunt. Litteris supplicibus tamen Cancellariae die 13. Junii 1746. productis, se de meliori manifestarunt, ne iura sua ciuitatensia arbitrio, dispositioni, & reformationi G. Ordinis Equestris exponerentur & traderentur.

Huius aequissimi & bene fundati petiti tam parum compotes factae, vt defensio ratione praetensae liberae mercaturae non sit expectata, sed Gen. ad praefatum Conuentum publicum Deputati sibi sumserint, Laudo publico concludendo inserere inter alia, sequentia.

1) Libera mercatura cum immunitate a teloniis secundum antiquissima Priuilegia, Pacta, & Lauda publica cum omni immunitate, & absque vlla remoratione Gen. Equestri Ordini constanter permaneto.

2) Neque minus libera negotiatio Nobilitatis aqua & terra in omnibus maritimis & terrestribus Oppidis cum quocunque sine discrimine secundum antiquissima

Pri-

Priuilegia, Pacta, & Confirmationes Jurium Nobilitatis circa libertatem mercaturae Joh. III. de Ao. 1676. & Ducum Friderici & Jacobi ac Laudorum publicorum de Anno 1684. 1692. 1718. & 1732. denique immunitas a teloniis in pactis & Laudis publicis bene fundata, hominum propriorum suorum sub poenis in Legibus & Priuilegiis definitis, illaesa ipsi conseruantor.

3) Quo autem facilius Ciuitates conuincantur, quod earum priuilegia, & Jura Praerogatiuis Nobilitatis & competentiis nullo praeiudicio & damno esse queant, & ita in tantum valeant, in quantum a iure publico non discrepent, illas in proxime sequente Conuentu publico sibi competitura beneficia inferre oportebit.

16) Cum secundum decisiones Commissoriales & tot lauda publica Ordinationes politicae, qua Praerogatiuis Nobilitatis contraria, corrigi, & abrogari debeant, nunc quoque Regimen cum Gener. Ordine Equestri plurimas Ordinationes Ciuitatum communicauerit, hic ex suo numero quosdam designauit, qui illas trutinent, & reuideant. Itaque hunc in finem Ordinationes Politicae in maiori Capitaneatu Seelburgensi Gen. &c. &c. traditae sunt, vt proxime sequente Conuentu publico praerogatiuis Nobilitatis adnascentia praeiudicia indicent, & sic in eo Ordinationes politicae ad normam Legum demum reduci curentur. Interea Regimen se obligat, seuerissime Ciuitatibus iniungere, vt intra limites suos maneant, & nemini Nobilium in minimo ansam querelarum iustarum praebeant, sub ineuitabili poena, & resarciendis omnibus damnis & expensis.

Ne autem opponi possit, quod ciuitates scientes & audientes silentio in aliquid consenserint, exemplo maiorum in antecessum praeiudiciosis iudicialiter teste annexo sub No. I. contradixerunt, contra ea solennissime protestatae sunt, & reseruando quaecunque competentia se manifestarunt. *No. I.*

Ante omnia itaque disquirendum est, an vnquam Gen. Equ. Ordini Ciuitates earumque iura subiecta fuerint, quia hoc necessario praesupponendum, quodsi tale ius attribuere sibi Gen. Equ. Ordo possit, quale in Laudo publico mentionato sibi arrogauit.

Minime ciuitates, licet possent, hic adducere volunt, qualem iustitiam, & quam considerationem a Nobilitate sibi promittere possint, dum iam Eadem praesupponit, quod Ordinationes Ciuitatum iuri publico & iuribus Nobilitatis contraria sint, antequam vlla puncta praeiudiciosa indicare potuerit, & prius quibusdam committendum duxerit, qui haec trutinent, & exquirant; porro quod Ciuitatibus in antecessum sua iuris beneficia non eum in finem allegandi copia facta sit, vt inquiri potuerit, num iure nitantur, vel secus, sed id solummodo iis relictum sit, quod conuinci debeant, ipsarum Ordinationes & Priuilegia a iure publico discrepare, & sic iuribus Nobilitatis derogare non posse.

Quae autem sunt Jura & Priuilegia a Nobilitate trutinanda, & in Conuentu publico reformanda? Illa, quae partim a Magistris Ordinis Ciuitatibus concessa, partim ex vetustissimis iuribus municipalibus in vnum corpus digesta, a Ducibus Curlandicis restaurata, & concessa, a Serenissimis ac Potentissimis Regibus Poloniae autem validissime confirmata sunt.

Ciuitates Goldinga & Vindauia a prima fundatione vltra 400. annos priuilegio Juris Rigensis & Wendensis donatae sunt: illa enim a Magistro Ordinis Vincke de Overberg praeclarum habet de Ao. 1361. Priuilegium, quod antiquiora iam allegat, & a pluribus aliis Magistris, inter quae Priuilegia a Francke Kersdorff Ao. 1484. Woltero de Plettenberg Ao. 1511. & Hermanno de Brüggeney nominato Hasenkamp Ao. 1538. concessa, praecipua sunt, praesertim enim in Priuilegio M. O. de Brüggeney expressa verba continentur:

Der-

Derhalwen Wy gemeldten Unsen lewen getruwen Underdanen den gemenen Borgeren, und Innwanern in Goldingen wanhaftich, sodane *Priuilegi*en, Freyheiden, Gerechticheiden und olde Gewanheyde, so se in er tiden irholden und an sick gebracht, to Fürderunge eres gemenen Besten hiermit *confirme*ren, bestedigen, und bevestigen, dersülwigen gelicks Unsere lewe Getruwen und Underdanen beyder Unser Stede *Wendenn* und *Wolmar* tho geneten, und tho gebrucken, und vergunnen ehnen ock noch uth sunderlicken Genaden in Goldingen tho holden alle Wecken enen gemenen Marckt doch also des Mondages darup tho kopen, verkopen, tho handelen und tho wandelen, alles tho ehren Nutz und Beste tho ewigen Tyden.

Aequali modo Vindauiae Priuilegia a M. O. Plettenberg, Brüggeney & Kettler concessa, & in priuilegiorum confirmatione de Anno 1595. extant verba.

Dot benömet met aller ehrer Richtichkeit, Freyheit und olden Gewohnheit sollen se und de Innwohnere der Stadt *Windau* gebrucken glyck de Börger der Stadt Goldingen, und na luhde erer *Priuilegi*en enen von Herrn *Wolter* von *Plettenberg* upgemeldt gegewen und fort mehr tho ewigen Tyden.

Quantum ad Mitauiam notum est, quod iam Anno 1435. oppidum fuerit, quod suo peculiari iudicio, & ordine constitit, & Anno 1570. primus Conuentus prouincialis publicus ibi habitus. Ordinatio politica quoque a Ducissa Anna piae memoriae data, euincit, quod ante subiectionem iam propria sua iudicia & consuetudines habuerit. De oppido Bauske scimus, quod arce ibi anno 1446. exstructa, vrbs quoque fundata sit, quae iure municipali vsa est. Iam ante Pacta subiectionis multae ex Germania, Belgia & Anglia spectatae familiae sedem in loco, vbi Libauia sita, fixerunt, & sub Clientela Ducis Borussiae omnibus Immunitatibus, quae Ciuitatibus competunt, gauisae sunt. Nam Grobinensi Districtu Borussiae hypothecato sub hac hypotheca Libauia quoque contenta fuit, vsque demum ad Domum Ducalem Curlandiae rediit.

Nullum autem vestigium apparet, quod Nobilitati vnquam ius in ciuitates competierit, sed hoc erat reseruatum M. Ordinis, qui separatim Nobilitati, separatim Ciuitatibus Priuilegia concedebat.

Circa Pacta subiectionis hac ius ad Reges Poloniae & Seren. Rem publicam deuoluebatur, & illi cum reseruatione Dominii Supremi Nouo Ducatui praefatas ciuitates assignabant. Attamen vti in Pactis subiectionis expresse prospectum est: *Vt quicquid publice vel priuatim vniuersis & singulis de iure & aequitate competere videtur, vel videbitur, Nostris litteris & diplomatibus confirmaturos, nec vllam in praedictis rebus diminutionem, sed potius pro Regia nostra Gratia & beneficentia augmentum & accessionem facturos, quemadmodum ex nunc re ipsa vigore praesentium Diplomatum confirmamus, approbamus, augemus, ratificamus, confirmare & comprobare quibusuis hominibus priuatim & publice nunc & imposterum quocunque tempore benigne super ea re compellati fuerimus &c.*: ita & Princeps rationem habuit, vt Ciuitates, suo Ducatui assignatae circa sua iura & immunitates conseruarentur, & pro exigentia temporis ampliarentur. Hinc Dux Gotthardus iura Goldingensia anno 1567. iam ante autem, vt Magister Ordinis iura & priuilegia Vindauiensia confirmauit, & ampliauit, quod idem a Duce Friderico anno 1591. ratione Vindauiae

uiae & a Friderico Casimiro ratione ordinationis ab anno 1510. iam vsitatae, neque minus a Duce Iacobo & Friderico Casimiro ratione Goldingae factum est. Deinde Dux Fridericus Mitauiae anno 1606. Politiam seu Iura Municipalia. & Libauiae Priuilegium ad instar Ciuitatum Goldingae & Vindauiae Jure Rigensi vtendi, impertitus, & cum Ciuitas Bauscensis vsque ad peculiarem Politiam constituendam ad Mitauiensem sese conformare interim iussa, propria ipsius ordinatio anno 1635. est subsequuta.

Sed vti ciuitates bene praeuidebant, sibi quoque vtpote Serenissimo Regi & Reipublicae Poloniae subiectis, quibus quoque separatim homagium praestiterunt, confirmatione Sui Supremi Domini opus esse, si aliquo iure constanti & perpetuo duraturo frui vellent; ita humillime pro confirmandis suis iuribus & priuilegiis supplicarunt, & his benignissime subuenire Potentissimi & Clementissimi Reges Poloniae dignati sunt. Diuus Rex Michael anno 1669. Iura & Priuilegia Goldingae & eodem anno Vindauiae sub *Numeris II & III.* confirmationibus suis stabiliuit. D. Vladislaus IV. anno 1633. Politiam Mitauiensem tenore *Numeri IV.* confirmauit, quam confirmationem exceperunt illae D. Ioh. Casim. anno 1649. & D. Michaelis anno 1669. tenore *Numeri V & VI.* Aequali modo confirmationem Politiae seu statutorum Bauscensium D. Rex Vladislaus IV. anno 1645. & D. Ioannes Casimirus anno 1649. sub *Numero VII.* elargiti. Libauia pro se habet confirmationem 6 Regum ex quibus D. R. Iohannis Casimiri de anno 1649. & D. R. Ioannis III. de anno 1677. confirmationes sub *Numero VIII.* adducuntur & porro subsequutae D. R. Augusti II. & nunc feliciter Regnantis Sacrae Regiae Maiestatis Augusti III. Domini Nostri longe Clementissimi confirmationes. Quum denique Celsissima Ducissa Elisabetha Magdalena oppidum Neustädtgen dirutum, & belli furore vacuum redditum restaurasset, & in memoriam Coniugis D. Friderici nomine Fridrichstadt donasset, ac Ius Municipale Incolis Ciuibus dedisset, talis horum iurium clementissima confirmatio a D. R. Vladislao IV. subsequuta *Numero IX.*, quae omnes ac singulos merito ab eorum trutinatione, & reformatione deterrere deberet. Ita & Sua Sacra Maiestas Rex Augustus III. Dominus Noster longe Clementissimus statuta Oppidi Russici in Curlandia a Duce Iacobo concessa, Confirmatione sua regia in Comitiis Gener. anno 1744. Grodnae habitis, dignata est, sub *Numero X.*

No. II et III. No. IV. No. V et VI. N. VII No. VIII. No. IX. No. X.

Quae cum ita sunt, comprehendi non potest, quomodo Gen. Equ. Ordo potestatem haec iura municipalia pro arbitrio suo corrigendi, & noua condendi sibi attribuere queat. Sane in rebus Curlandicis exemplum inauditum, quod nunc in citato Laudo publico nouissimo extat. Inficias quidem ire non possumus, quod anteriori seculo Nobilitas diuersis vicibus putatiue contra Politias Ciuitatum querelas susceperit; tam longe autem non abiit, vt sibi putatiuam correctionem sumserit, quo tamen modo simul munere actoris & iudicis fungitur. Anno 1643. Nobiles Parochiae Bauscensis actionem coram Principe Politiae Bauscensis causa intenderunt, & demum die 10. Junii 1644. decretum ex seriis partium controuersiis latum sub *Numero XI.*, de quo Nobilitas in Conuentu publico anni 1645. conquesta est, sed Ciuibus Bauscensibus ad Grauamina reiterata auditis Responsio Ducis Jacobi Laudo publico dicti anni inserta est, sequentibus verbis: *In Decisis anterioribus acquiescendum, si quid autem praeterea in specie cuidam proferendum, illum in sequente Conuentu publico audiemus, interim autem neutri parti in iure sibi competente aliquid demtum esse debet.* Re autem in conuentu publico anni 1648., contra ciuitates Bauscam & Mitauiam, quarum Poli-

No. XI.

tiae ſeu Jura Municipalia in plurimis vnius tenoris ſunt, Dux Jacobus talem, quam Laudum publicum dicti anni exhibet, reſolutionem dedit, nempe: *Ad querelas diſtrictuum Bauſcentium & Mitauienſium contra Ordinationes-Politicas Ciuitatibus Bauſcae & Mitauiae conceſſas quod attinet, declaramus, nos pro diſquiſitione harum & aliarum querelarum terminum in diem 1. Sept. hiſce praefigere, in quo Nobiles Diſtrictuum nominatorum cum aſſiſtentia quorundam Deputatorum Curlandicorum & Semigallicorum pro Gen. Ordine Equeſtri compareant, & definitionem pro re nata exſpectent, hac autem ſi contenti eſſe nolunt, res ex tunc prout ex nunc ad Deciſionem Regiam remittitur.* Lite in hoc termino ventilata die 25. Sept. ei. a. ſecundum *Num. XII.* deciſio eſt ſequuta.

No. XII.

Huic morem vt gererent Ciuitates, eorum Deputati ad Comitia felicia Coronationis D. Joannis Caſimiri Cracouiam venerunt, & a parte Nobilium ex Parochia Bauſcenſi adfuit Gen. Philippus Schoepping, eiusdem Parochiae in tota hac cauſa Plenipotens cum Gen. Georgio Viſcher Capit. Vind. Delegato Gen. Equ. Ordinis aduenit. Licet autem ſuper hac re Colloquium cum illis Mandatarius Ciuitatum habuiſſet, & Gen. Schoepping paratum ſe, Regiamque declarationem expectaturum dixiſſet; Abiit tamen, quae omnia proteſtatio & manifeſtatio a Mandatario Ciuitatum iudicialiter Cracouiae interpoſita, & in Curia Regia Varſauienſi repetita, fuſius ſub *No. XIII.* edocet, Rex D. Joannes Caſimirus vero die 12. Febr. dicti anni 1649. ſuper controuerſia pronuntiauit, & Ciuitatibus ſub manu regia & appoſitione ſigillorum Regni & M. D. Litth. Reſponſum dedit, quod infra adducetur.

No. XIII.

Ciuitates poſt haec tempora propter iura ſua municipalia, niſi quod fuit punctum mercaturae, & in foris Ciuitatum hebdomadalibus emtionis, quod Ao. 1662. recapitulatum fuit, non ſunt exagitatae. In Laudo publico anni 1669. potius verba extant: *Ciuitates ſuis ſe Ordinationibus politicis conformabunt.* Nonne hiſce omnibus actibus ſatis ſuperque oſtendit Nobilitas Curlandica, quod ſuo arbitrio & diſpoſitioni Ciuitates non fuerint ſubiectae, & penes ſe non ſit poſitum, iura & priuilegia Ciuitatum reformare, ad quod ipſis eo minus ius competere poteſt, quo minus iura & priuilegia Ciuitatum Cancellos vrbium egrediuntur, & quae iura habent, non in alienis, aut in Nobilium fundis, ſed in ſuis tantum vrbibus exercent.

Quod autem nihilo ſecius ſequentibus turbulentis temporibus via facti ab vno vel altero quippiam tentatum ſit, eius exempla proh dolor! praeſto ſunt. Caruerunt Ciuitates per totum hoc ſeculum praeſentia Principis, & in hoc tempore non ſemper auxilium & tutamen inuenerunt. Ad Regem Potentiſſimum Poloniae Dominum ſuum ſupremum vero ſemper recurrere, bello, peſte, & continuis collocationibus Militum exterorum eneruatus ſtatus Ciuitatum non permiſit.

Obiiceret quis tamen multorum Laudorum publicorum contenta, ſecundum quae Leges ſumtuariae condi, & in Conuentibus publicis opus perfici debuiſſet; neque minus deciſum Regiae Commiſſionis de Ao. 1717. expreſſum: *Reſpectu ordinationis politicae Ciuitatenſis & Reuiſionis a Ducali Domo ante hac promiſſae, id negotium G.G. Conſiliariis Supremis Regentibus committendum eſſe cenſuimus, & committimus, mandantes, quatenus praefati G. G. Conſiliarii Supremi adiunctis Deputatis ex Equeſtri Ordine, Ordinationem Ciuitatum politicam quantocius conſtituant.* Sed reſpondetur, ea, quae in antiquis Laudis publicis continentur, tangere tantum Leges ſumtuarias, quae pro diuerſitate temporum diuerſae eſſe, & mutari debent: id etiam ſilentio non praetereundum eſſe, quod toti prouinciae praeſcribi debuiſſent, itaque

inter-

intermitti non potuisse, vt Gen. Ord. Equestris ad hanc operam eatenus concurreret, licet adhuc ex Laudo publico anni 1669. annotandum, *quod eas Princeps prius cum Ciuitatibus in ordinem redigere, & cum Gen. Equ. Ordine communicare voluerit.* Quomodo sic Gen. Equ. Ordo venditare potest, quod eas condendi potestatem habeat, vti iam sic interpretari praesumit? Hoc soli Principi inuestito competit, vt in his rebus, quae mutationi subsunt, pro diuersitate temporum Ciuitatibus decentem ordinem praescribat. Et Ciuitates eo lubentius Principi suo se in his submittere possunt, quo arctiori ligamento Eius & Reipublicae Interesse cum incrementis Ciuitatum coniunctum est, quapropter duris & nociuis Legibus incrementa Princeps non impediet, bene perpendens, prouentus suos cum ipsis vrbibus crescere. Longe aliter se res habet cum Legibus Ciuitatum fundamentalibus, earum Immunitatibus, & administratione iustitiae, quod tam diu, quam Supremus Imperans & Dominus Directus, qui ea confirmauit, & stabiliuit, illas non corrigit, & abrogat, vim perpetuae legis habere debent, & secundum regulas rectae interpretationis iuri publico sunt annumerandae.

Ex his deductis in aprico est, quomodo citatae Commissoriales Decisiones intelligendae sint, cum statui non possit, ipsi Illustriss. Commissioni concedendi mentem fuisse, vt Nobilitas, Leges fundamentales Ciuitatum, & quicquid ex confirmatione regia vim Legis perpetuae habere debet, reformaret, & Ciuitatibus non auditis nouas ferret, dum potius praefata Commissio in Decisis ad grauamina puncto decimo quarto, & quinto *tam Capitaneos maiores & minores, quam ciuitates per omnia & in omnibus circa Priuilegia sua, Iura, & laudabilem vsum & obseruantiam conseruauit, & manutenuit.* Quare placitum illud Commissoriale procul dubio ad ea tantum spectat, quae ad Leges sumtuarias, i. e. pretia rerum, mensuram, pondera, & ad bonos mores pertinent.

Econtra in his, quae Nobilitas Curlandica desiderat, ipse Princeps teste annexo sub No. XII. agnouit, sibi cognitionem non competere, vnde eo minus in potestate Gen. Equ. Ordinis haec autoritas posita esse potest.

De caetero ciuitates ipsae in votis habent, vt ordinatio Politica pro exigentia temporum bene ordinata quoad bonum ordinem & Leges sumtuarias, quia confusiones quasdam irrepsisse, & antiqua in multis cum hodiernis moribus non conuenire diffitendum non est, praescribatur, si modo ita proceditur, vt Reuisio & Constitutio non a sola Nobilitate dependeat, & status Ciuicus huic negotio interesse non plane arceatur, ac sine eius praescitu, & assensu, hae ordinationes non condantur, cum alias maximopere timendum, ne omnia in despectum, & praeiudicium Ciuici status sint eruptura, quoniam iam saepius praefato Laudo publico non pauca in despectum & iniuriam Ciuici status sunt inserta e. g. *quod soli Nobilitati curribus in aream templi Ciuitatis Mitauiensis*, quam sola tamen Ciuitas sustentat, & reparat, *sub poena 10 thalerorum in personam ciuici status, quae hoc facere audeat, inuehi liceat*, quo senes, valetudinarii, & infirmi, temporibus praesertim pluuiosis, & ventosis a deuotione in templo arcentur: porro, *quod Ciuitates falsae mensurae, & non administratae iustitiae insimulentur, & quasi, vt res certa venditetur*, cum tamen nullum exemplum adduci potest, & ciuitates huius culpae nondum conuictae sunt, vt taceatur, quod factum vnius vel alterius toti Ciuitati imputari nequeat.

Ex quibus adductis abunde constabit, quod Gen. Equ. Ordo arbitrium, diiudicationem, & reformationem Iurium Municipalium, & Ciuitatum Immunitatum ac Priuilegiorum, quae non a Nobilitate, sed aequali modo vti Nobiles ipsi, imo quoad plurima anterius, quam Nobiles sua ex prouisione

sione Magistrorum Ordinis, confirmatione pactorum subiectionis, conseruatione Principum, & munificentia D. Regum Poloniae habent, sibi attribuere haud possit.

Aequali modo nullum Gen. Equ. Ordo Curlandiae & Semigalliae fundatum ius habet, determinandi, *vt sibi in vrbibus maritimis & terrestribus Curlandiae & Semigalliae exercitium mercaturae seu negotiationis non praepediatur, sed sine discrimine cum quolibet liberum esse debeat.*

Hoc vt facilius, & eo melius diiudicari possit, necesse est, vt adducantur, quae ab antiquissimis temporibus vsque ad haec tempora intuitu huius rei acta sunt. Historici querelae desuper a Nobilitate contra Ciuitatem Reualiensem tempore Ordinis institutae, quod Nobiles cum Exteris portum appellentibus commercari non admitterent, mentionem faciunt, & his testibus haec lis ita ao. 1543. decisa est a commissione a Magistro Ordinis ad hanc demandata, vt Gen. Equ. Ordo, quoniam mercatio exterorum & non ciuium cum exteris aduenientibus consuetudini, & iuribus municipalibus repugnet, hac mercatione abstineret. In qua sententia Nobilitas acquieuit, quia nullum vestigium, Nobilitatem tunc temporis porro huic mercationi inhiasse, reperitur. Post tempora Subiectionis autem Nobiles quidam Ducatuum Curlandiae & Semigalliae in fundis & rure rem mercatoriam plus, quam vnquam factum, agere, & merces vndiquaque commercari & corradere ceperunt, ita vt nihil pene ad Ciuitates libere peruenire potuerit. De hoc praeiudicio Ciuitates in omnibus fere Conuentibus publicis questae sunt, & suis querelis vt medela afferatur, institerunt, nunquam autem aliquid cum effectu impetrare potuerunt. Sic Ciuitates

No. XIV. in Conuentu publico anni 1621. querelas suas intulerunt, & a Duce Friderico resolutionem sub *Num. XIV.* die 12. Aug. 1621. acceperunt. Per iteratas autem querimonias nihil amplius obtinuerunt, quam vt in Conuentu

No. XV. publico anni 1636. haec controuersia ad declarationem Regiam remissa sit. Certior denique D. Rex Vladislaus IV. de hac controuersia redditus, mense Nouembr. 1636. Duci Friderico sub *No. XV.* rescripsit, quo rescripto accepto Dux Fridericus in Conuentu publico in diem 14. Decembris 1636.

No. XVI. indicto, demum autem in Januario anni 1637. concluso, & mense Julio anni 1638. reassumto, adesse Ciuitates, vti tum temporis semper mos erat, iussit sub *No. XVI.* Bona tamen & seria admonitio Ducis Friderici ita fructu caruit, vt potius in Laudo publico dicti anni verba extent: *Quum propter mercaturam secundum Sacrae Regiae Suae Maiestatis Rescriptum inter Deputatos & Ciuitates res componi non potuit, adhuc semel in remisso per Laudum publicum facto acquiescitur.* Econtra Nobilitas omni modo coram Sacra Sua Regia Maiestate cum iure hoc praetenso comparere verita est, sed potius in tergum Ciuitatum hac in re aliquid a Commissione Regia, nouum Ducem Jacobum in Ducatum introducente, obtinere molita est. Quae autem cum Ciuitates ad sufficientem Jurium Priuilegiorumque suorum deductionem pertingere non potuissent, hunc in modum pronunciauit: *Querebatur etiam Nobilitas: Illustrissimum Principem defunctum certum quoddam priuilegium Ciuitatibus extradidisse, in quo ordinatio mercaturae continetur, quod ipsum cum repugnet libertatibus & immunitatibus nobilitaribus, ac prouinciarum annexarum vtpote M. D. Litthuan. & secum monopolia trahat, quae de iure sunt vetita, ac prohibita, petiit vniuersa Nobilitas totum hoc negotium in integrum restitui, & priuilegium illud sine scitu & consensu Nobilitatis obtentum cassari. Ad hanc querelam S. Illustritatis mandatarii respondebant, velle suam Illustritatem penitus in hanc rem inspicere, idque factura est circa reuisionem Statutorum, in quo Priuilegio, si quid compertum fuerit,*

fuerit, quod iuribus & prouinciarum annexarum, cum quibus mutua commercia intercedunt, repugnet, id Suam Illustr. se abolituram pollicetur. In qua Suae Illustr. declaratione acquieuimus, ita tamen, vt Sua Illustr. mature S. R. Maiestatem de hac reuisione, & priuilegii examine certiorem reddat; vt si ita visum fuerit, S. R. M. suum quoque Commissarium assignare possit, qui ad iura S. R. Mtis. attendat, prouideatque, ne quid iuribus supremi directique Dominii S. R. M. praeiudicetur. Sed quid Nouus Princeps hac in re pro iustitia & aequitate efficere potuit, cum Equ. Ordo, vt supra iam allegatum Laudum publicum indicat, se ne in minimo quidem accommodare voluerit, sed suae Praetensioni, nullo tamen fundamento nixae, inhaeserit. Ea propter extat in Laudo publico anni 1645. *quia propter mercaturam ante nostra tempora diuersa Lauda publica facta sunt, ita & iam in his acquiescitur.* Cum vero in Conuentu publico anni 1648. repetitum fuerit, ita res se dedit, vt supra expositum est, nempe quod ad D. Regem Joannem Casimirum Lis ex publico remisso venerit, qui supra hac controuersia die 12. Febr. 1649. in praesentia Gen. Delegati Capitanei Vind. de Vischer non solum Responsum & Declarationem pro Ciuitatibus dedit, sed etiam clementissime super hac re tam Principi quam Gen. Equ. Ordini rescripsit sub *Nis. XVII, XVIII & XIX.* quod Responsum Regium quoque Gen. Equ. Ordini in Conuentu publico anno 1654. prout attestatum sub *No. XX.* euincit, debite insinuatum fuit. *No. XVII XVIII et XIX. N. XX.*

Licet Ciuitates hinc ab impugnationibus vlterioribus se fore securas sibi persuadere voluerint, praesertim cum iterum Rescriptum Regium de dato Varsouiae die 3. Mensis Januarii anno 1650. aduenerit, cuius extractum in confirmatione D. R. Michaelis infra adducta extat, spes tamen omnis euanuit, dum in conuentu publico anni 1662. hae querelae iterum repetitae, imo amplius, quam vnquam factum, extensae sint. Nobiles enim liberam mercaturam cum exteris aduenientibus non ciuibus, etiam in ciuitatibus ipsis praetenderunt.

Eo autem, quo voluerunt, rem deducere non potuerunt; sed Princeps id perfecit, vt controuersia iterum ad Sacram Regiam Maiestatem praeuia adcitatione remitteretur. Hoc vero Nobilibus rei mercatoriae inhiantibus non complacuit, dum bene praeuidere potuerunt, quae fata talis iniqua praetensio esset habitura, si mediante citatione Sacrae Regiae Maiestati Suae illam proponerent. Hinc Citatio illa omissa est. Opportunum potius Nobiles tempus expectarunt, in Conuentibus publicis aliquid contra Ciuitates efficiendi, quare in conuentu anni 1669. farraginem Grauaminum putatiuorum contra statum ciuicum coaceruarunt, ad quae tamen Ciuitates refutationem suam sub *No. XXI.* non solum intulerunt, sed etiam ad Patrocinium Regis sui denuo prouocarunt. Adierunt quoque Sacram Regiam Maiestatem, quae ita humillimis earum petitis subuenire dignata, vt Responsum D. Johannis Casimiri de nouo clementissime confirmauerit, quibus denique reiterata confirmatio D. R. Johannis III. de dato Varsauiae die 12. Aprilis ao. 1677. teste annexo sub *No. XXII.* accedit. *No. XXI. No. XXII.*

Post haec quies quidem in tantum Ciuitatibus relicta est, ne palam illas lacesserent, sed eo magis clanculum & via facti Nobiles multi, (inter quos autem discretiores & moderatiores computandi non sunt) statum Ciuicum sic depresserunt, vt Ciuitates inde magis magisque decrescerent. Nobiles illi sic debilitatem Ciuitatum intuentes, post fata Ducis Jacobi commodissimum tempus id conficiendi, quod tam diu moliti sunt, adesse rati, in tergum ciuitatum praetextu suorum priuilegiorum Nouum Principem, qui iam tum impetuosis sollicitationibus Nobilium resistere non poterat,

C commo-

 

commouerunt, *ut in actu quodam abolitionis grauaminum Gen. Equ. Ordini ao. 1684. liberam Mercaturam in vrbibus a mari remotioribus, & maritimis, tenore Diui Sigismundi Regis, Gotthardi, Friderici & Jacobi Ducum concessorum Priuilegiorum, declarationum, & Rescriptorum, neque minus Confirmationis Sacrae Regiae Maiestatis Joh. III. promitteret.* Quamprimum id Ciuitates compererunt, hoc adhuc pro conseruatione iurium suorum fecerunt, quod in earum eneruato statu adhuc fuit possibile, nempe quod sibi iudicialiter interposita Manifestatione, Jurium Reseruatione, & Protestatione sub *No. XXIII.* prospexerint. Subsequuta demum mors Friderici Casimiri, Minorennitas Ducis Friderici Wilhelmi, bellum cruentum ad annum 1720. protractum, pestis, & aliae notoriae calamitates Ciuitates ad extrema tandem adduxerunt. Vix vero Ciuitates quibusdam proxime praeteritis annis quaedam incrementa ceperunt, cum omnia in hoc turbido statu retrogradiuntur, & id accedit, quod Gen. Equ. Ordo talia sibi vult attribuere, quorum libero ac imperturbato exercitio Ciuitates in statu meliori conseruari adhuc potuissent.

No. XXIII.

Quae iura pro Ciuitatibus in hoc militant, tam clare praemissa relatio docet, vt vlteriori deductione speciali Ciuitates supersedere possint. Omnes illarum Prouisiones, Ducales Politiae, & Regiae confirmationes istis iuribus nituntur, quae iam ante Pacta Subiectionis Ciuitates habuerunt. Nam Ciuitatibus ius exercendi mercaturam iam est acquisitum a prima fundatione, & Jus Germanorum proprium, in quo Curlandia in ipsis Pactis Subiectionis & Priuilegio D. Sigismundi Augusti est fundata, concedit Ciuibus iura municipalia & inter ea liberam rem mercatoriam cum exclusione eorum, qui non gaudent iure ciuitatis, & oneribus ciuitatensibus non subsunt. Idem dicit Jus Rigense, & Wendense, quibus Vindauia, Goldinga & Libauia sunt priuilegiatae, vti superius adducta Priuilegia expressis verbis hoc continent; imo Jus Wendense antiquum, a D. Rege Stephano de nouo confirmatum, inter alia sic loquitur: *Constituimus & sancimus, vt Locumtenentes, & Capitanei arcium & alii Nobiles in praeiudicium nostrae vrbis contra antiquam consuetudinem & ius mercaturam non exerceant. Interdicimus quoque seuere, ne commeatus mercium ad Ciuitatem nostram Wenden subditis suis hominibus & Kmethonibus impediant & reprimant.*

Econtrario quae Nobilitas pro se adducit, tam caduco stant fundamento, vt partim per se corruant, partim paucis remoueri queant. Quapropter ne opus quidem est, ad iuris axioma recurrere, vi cuius Priuilegiatus posterior contra aeque priuilegiatum anteriorem non gaudeat priuilegio. Nam si ita esset, quod tamen falsum, vt Nobilitati Priuilegio Dom. Sigismundi libera mercatura extra prouentus praediorum suorum sit concessa, illa tamen eam ad Ciuitates, quae iam ante ius non Ciues ab hac excludendi acquisitum habuerunt, & ipsis per Pacta Subiectionis conseruatio iurium suorum tam sancte promissa, vi allegati axiomatis extendere, & contra illas ea vti non posset. Ita & ratione Libauiae quoque, cum Nobilitas nunquam in illa ius quoddam habuit, per concessionem Juris illius Municipalis, quod omnibus Ciuitatibus ex ipsa fundatione accrescit, nihil Nobilibus ademtum est, praesertim cum iam in Pactis Subiectionis extet: *Subditos vero Principis & Nostros Clementia & benignitate Nostra Regia prosecuturos, ornaturos, & aucturos in Nos recepimus, & praesentis iuris iurandi Nostri Regii interuentu recipimus.* Attamen in Priuilegio D. Sigismundi Augusti ne iota quidem, quod Nobilitas de mercatura illa venditat, continetur, & Ciuitatibus nihil hac in re adimitur, imo bene pensitatum non leuia potius pro Ciuitatibus suppeditat argumenta.

Secun-

Secundum, quod Nobilitas pro se allegat, est Priuilegium Ducis Gotthardi, in quo verba ita sonant: *Suis optima, quae potest esse vtilitate, vtantur & in his suis liberam rem cauponariam ac emtionem & venditionem aliasque vtilitates omnimodas habere valebunt.* Adestne quaeso vnicum hic verbum, quod Nobiles liberam rem mercatoriam, vti praesumunt, nempe in prouincia tota merces corradendo & commercando reuera mercatorem agere, aut in Ciuitatibus ipsis, & quidem cum exteris eo aduenientibus hoc negotiationis mercatoriae exercitium habere possint? Vi allegati Priuilegii reuera Nobilitati tantum, quantus esse potest, quaestum ex frugibus & prouentibus suis commercando, & in cauponis suis facere ita, vt terra & aqua ab omnibus Teloniis immunes sint, conceditur; libera autem negotiatio seu exercitium mercaturae, quod solis ciuitatibus & mercatoribus in iis competit, neutiquam ipsis permitti potest, si ciuitates non dicam accrescere, & conseruari, sed tantum stare debeant. Nam hoc Nobilitati concesso, quid ciuitates habere, & vnde earum Ciues panem quotidianum comparare debent? quoniam ipsa & tota mercatura Ciuitatum in eo tantum consistit, quod ex emtione & venditione frumenti, vini adusti, mellis, cerae, seminis linei, salis, ferri, halecum, & rei tabernariae item coquenda & vendenda cereuisia comparatur. Actum tunc quoque est de Teloniis, a quibus Nobiles immunes sunt, quae tamen vnicum reditum his temporibus exhibent, a quo conseruatio Regiminis & portuum dependet.

Tertio allegatur Priuilegium quoddam Ducis Friderici hac in re Nobilibus datum, sed nondum in lucem prodiit, & forsitan nunquam apparebit, nisi sit illa confirmatio iurium & Libertatum a Duce Gotthardo concessarum, in qua tamen hoc non continetur, quod Gen. Equ. Ordo Curlandiae pro se adducit.

Quod quarto Nobilitas ex Ducis Jacobi rescripto allegat, eius totum tenorem annectere sub *No. XXIV.* Ciuitates non verentur, quoniam in illo neutiquam extat, quod Nobiles exercitium mercaturae in vrbibus maritimis praetendant, vti iam explicare volunt, dum nunc Nobiles quidam in praediis suis immo in Ducalibus vrbibus adiacentibus omnes, quascunque possunt, merces in tota prouincia commercantur, ita vt paucissimae ad vrbes veniant, immo Librarium Mercatorium alunt, & cum exteris correspondentibus mercaturam exercent. Si talia Ciuitatibus interitum non arcessant, nescitur, quid illis maiori exitio esse possit? In supra adducto rescripto vero Nobiles districtus Libauiensis & Vindauiensis queruntur, quod sibi ne minimum quidem in Ciuitatibus vendere exteris, aut ab ipsis emere permitti velit, quod longe alia res est, quam rem mercatoriam in vrbibus exercere velle. Et tamen huius intuitu quoque rescripto annexum est, quatenus hactenus fuerint in possessione, quam nunquam habuerunt, & confirmationi Regiae clausula salutaris adiecta est, in quantum iuris & aequitatis est; quae clausula eo magis attendenda, cum Rescriptum Ducale ao. 1643. datum, ao. 1649. vero adductum Responsum Regium subsequutum sit.

No. XXIV

Si modo Nobilitas ex hoc Rescripto & anterioribus putatiuis Priuilegiis tam indubitatum ius habuisset, nunquam Decreta de ao. 1644 & 48. sub *No. XI & XII.* annexa lata essent, & nunquam in Laudo publico de ao. 1636. 1648 & 1662. ad decisionem Regiam rem remitti Nobiles passi essent.

Quum quinto Responsum Regium pro Ciuitatibus datum, & eius confirmationes subsecutae sunt, quae non clanculum, sed publice ex praeuio publico remisso, & in praesentia Gen. Delegati Gen. Equ. Ordinis factae sunt; comprehendi non potest, quem valorem illa a Nobilitate ao. 1677. a D. Rege Johanne III. sub & obreptitie in contrarium exportata putatiua confirmatio liberae mercaturae habere debeat, vt taceatur, quod Rescrip-

tum

tum illud Ciuitatibus nunquam rite insinuari curatum sit, sed reconditum Nobiles illud penes se habuerint; & quidni haberent? cum confirmatio illa manifesto talibus allegatis fundamentis superstructa sit, quibus Nobilitas in totum destituta est: expediti autem iuris est, quod eiusmodi Rescripta, quae allegationibus rei veritati contrariis nituntur, eo ipso sint irrita, & omni effectu careant. Hinc necesse non est, vt adiungatur, quod ne in hac quidem confirmatione ea contineantur, quae iam Nobiles praetendunt. Nam loquitur tantum de venditione prouentuum suorum praediorum & emtione, quae ad victum & amictum pertinent, nunc autem agitur de vero Mercaturae & Negotiationis exercitio, quod mercatoribus in Ciuitatibus competit. Quod autem attinet ad emtionem subditorum in foris Ciuitatum publicis, discrimen faciendum inter nundinas & fora hebdomadalia, quod discrimen in omnibus, quot sunt vrbes, in eo consistit, quod in illis peregrinis seu non incolis cum exteris seu non incolis negotiari permissum, neutiquam autem in his, quae ad prospiciendum solis Ciuitatibus de suo victu sunt instituta. Itaque ipsi instituto contrarium foret, si peregrinis & exteris ea, quae ad victum & sustentationem incolarum vrbium tantum destinata sunt, praeripere permitteretur.

Et talis Ordo in bene ordinatis Ciuitatibus Germanicis sic quoque Ducatuum Curlandiae & Semigalliae viget, vt horae antemeridianae incolis ad suas necessitates in foris hebdomadalibus assignatae, horis autem pomeridianis peregrinis, inter quos omnes, qui non in ipsa vrbe habitant, computantur, emtio ad victum & amictum necessariorum permittitur, nullatenus autem quae ad negotiationes mercatorias pertinent; maxime quum istae coemtiones Kmethonum Nobilitatis in foris hebdomadalibus praesumtae, in vetita iure & Legibus propolia degenerent, dum satis exploratum hoc est, Kmethones Nobilium, qui in foris ciuitatum frumenta emunt, maximam eorum partem, in finitimam Liuoniam Russicam deuehere & ibi diuendere.

Vltimum quod pro se Gen. Equ. ordo hoc in puncto allegat, sunt nouiora Lauda publica. Sed merito quaerendum, quomodo Nobilitas de his, quae pro Decisione ad Regem tanquam Dominum Supremum spectant, valide & eo effectu concludere possit, vt Ciuitatibus conclusa ipsius praeiudicio esse queant?

DEO gratias agunt Ciuitates humillimas, quod sibi adsit Rex iustissimus, qui hanc iniquitatem & oppressionem Ciuitatum non permittet, de quo eo certius persuasae esse possunt, quo certius est, quod iam in Pactis conuentis § 58. conseruatio iurium Ciuitatum Curlandiae praecauta sit, imo & cura salutis sui Regni & incorporatarum prouinciarum Sacrae Regiae Maiestati tanta fuerit, vt in diuersis pro Comitiis Regni General. emanatis Vniuersalibus, studium, incrementis vrbium Regni, quibus Ciuitates Curlandiae vi incorporationis annumerandae, consulendi, paterne commendetur.

Recurrunt itaque Ciuitates in hoc praesentissimo periculo, & calamitate ad Patrocinium, & tutamen Regis sui longe Clementissimi, & iustitiam eius implorant, humillime supplicantes, vt se circa sua priuilegia, & antiquum, & laudabilem vsum, ac obseruantiam, Exercitia Iurisdictionum, & commerciorum, Responsa Regia, & confirmata Jura Municipalia seu ordinationes politicas conseruari, incrementa capere, & efflorescere pro iustitia sua regia curet, ac proinde allegatum nuperrimum Laudum Publicum Gen. Equ. Ordinis in tantum, in quantum Ciuitatum Juribus & Immunitatibus praeiudicat, omni effectu destitutum declarare, praeiudiciosa conclusa rescindere, & pro autoritate Regia Sanctione peculiari Ciuitates contra vlteriora tentamina & suppressiones efficacissime securas reddere clementissime dignetur.

AN-

ANNEXORVM

No. I.

WIPIS z Xiąg Grodzkich Xięſtwa Zmuydzkiego.

Roku Tyſiąc Siedmſett Cztyrdzieſtego Szoſtego Mieſiąca Auguſta Dwudzieſtego wtorego dnia.

Na Vrzędzie J. Kr. Msa. Grodzkim Xięſtwa Zmydzkiego Przedemną Alexandrem Jerzym Billewiczem Ciwonem Wielkich Dyruian, Roſienſkim Woynutſkim Staroſtą, Koniuſzym Podſtaroſcim, Sądowym Xięſtwa Zmuydzkiego Comparendo Perſonaliter Jm. Pan Marcin Wizgintt Nomine Magiſtratow Miaſt Xięſtwa Kurlandskiego ſolenną Zanioſł Manifeſtacyą ſequenti tenore: Comparuerunt coram officio Actisque Caſtrenſibus Ducatus Samogitiae per Generoſum Martinum de Giniat Wizgintt Plenipotentiarium ſuum Ciuitates Ducatuum Curlandiae & Semigalliae, in Copia parata inferentes, quatenus Magiſtratus Praefatarum Ciuitatum quidem ad Mandata Regiminis Ducatuum Curlandiae & Semigalliae ſub dato Mitauiae die vigeſima ſeptima Maii Anni currentis extradita, vt per Deputandum intra ſpatium quatuordecim dierum exemplar Fide dignum Statutorum, Jurium, & Priuilegiorum ſuorum eam ob cauſam inferrent, quia Generoſus Equeſtris Ordo in Publico Conuentu Prouinciali, qui iam Mitauiae celebratus fuerit, queſtus ſit, nonnulla in iis quae Juri Publico & iuribus Nobilitatis aduerſa eſſent contineri, per certos Deputatos ex debito Regimini Ducatus Curlandiae Reſpectu, ſua Statuta & Ordinationes Jurium Ciuitatenſium ſeu Politicas, vti quaedam hoc nomine veniunt in Copiis vidimatis exhibuerint, ſed ſimul in Literis Supplicibus Cancellariae Ducatuum Curlandiae & Semigalliae die decima tertia Junii Anni currentis productis ſibi ſolenniſſime praecuſtodiuerint, vti hae Ordinationes & Statuta Ciuitatum quae robur ſuum ex Clementiſſimis Sereniſſimorum Regum Poloniae tanquam Supremorum Dominorum Confirmationibus haberent, & nunquam Arbitrio & Placito Generoſi Equeſtris Ordinis Curlandiae & Semigalliae ſubiectae fuerint, Diſiudicationi Generoſorum ad Conuentum Publicum Deputatorum proinde neutiquam exponerentur & traderentur, ſed potius Ciuitates contra omnes actus ſibi & Juribus ſuis praeiudicioſos praeſertim contra Diſiudicationem & Reformationem Jurium, Immunitatum & Priuilegiorum Regiorum Ciuitatibus conceſſorum a Generoſo Equeſtri Ordine, & Eius ad Conuentum publicum Deputatis faciendam, omne Jus competens ſibi ſartum tectumque reſeruarent & ad Protectionem & Tutamen Sacrae Regiae Maieſtatis ea qua par eſt deuotione prouocarent. Cum autem non ſine maxima Conſternatione Ciuitatibus compertum ſit, non ſolum Nobilitatem in Conuentu Prouinciali per Laudum Publicum de dato Mitauiae vigeſima ſeptima Julii Anni currentis in ea etiam conueniſſe, quae Juribus Ciuitatum bene acquiſitis Immunitatibus & Priuilegiis a Regibus Sereniſſimis Regni Poloniae hactenus clementiſſime datis, e Diametro contraria ſunt, ac in exitium Ciuitatum tendunt & ſibi maxime praeiudicioſa Placita, quae in Generoſi Ordinis Equeſtris arbitrio poſita haud ſunt, condidiſſe, ſed etiam ſua Statuta & Ordinationes Politicas a Sereniſſimis Regibus Poloniae tanquam Supremis Dominis in perpetuum Clementiſſime con-

firmata, eius arbitrio & futurae Reformationi distribuisse. Quapropter commemoratae Ciuitates contra Conuentionem adductam, praementionatumque Laudum Publicum, in quantum sibi praeiudicant, omnia Jura sua Juriumque Beneficia praesertim Possessionis per omnia & in omnibus salua & integra sibi reseruando, quam Solennissime & in optima, qua fieri potest Juris Forma hisce iudicialiter protestantur, sibique praeiudiciosis Punctis contradicunt ac rogant, vt Protestatio haec Juriumque Ciuitatensium Reseruatio Actis his Castrensibus inseratur sibique desuper Attestatum Judiciale extradatur, in cuius Fidem Authenticum hoc Exemplar extraditum est. Ktora to takova Protestacya iest do Ksiąg Grodzkich Xwa. Zmydskiego przyięta, y zapisana. Zktorych y ten Wypis pod Pieczęcią Vrzędową Grodzką Xwa. Zmydskiego Parti Requirenti iest wydana. Actum w Rosieyniach, anno & die ut supra.

Michal Gorski,
Star. melorz. Sędz. Grodz. Zmydz. Por. ll.

(L. S.)

In Absentia Wgo. Im. Pana Pisarza
Xwa. Zmydz.

Correxi Bunar, Sę. G. Xwa. Zmydz.

Manifestatia Magistratow Miast Xięstwa Kurlandskiego.

No. II.

MICHAEL Dei Gratia Rex Poloniae Magnus
&c. &c.

Significamus praesentibus literis nostris quorum interest vniuersis & singulis. Productas fuisse coram nobis per Spectabilem Martinum Gamper Plenipotentem Ciuitatis Goldingae in Curlandia literas pargameneas manu Illustrissimi in Liuonia, Curlandiae & Semigalliae Ducis subscriptas, sigilloque eius pensili munitas, germanico charactere scriptas, Jura & priuilegia eiusdem Ciuitatis Goldingae in se continentes, sanas, saluas & illaesas, omnique suspicionis nota carentes, intercessisseque apud Nos pro eadem Ciuitate certos Consiliarios Regni, vt easdem literas authoritate nostra Regia approbare, confirmare, & ratificare dignaremur, quarum literarum tenor hic sequitur. **Von Gottes Gnaden Wir *JACOBUS* in Liefland, zu Curland und Semgallen Herzog ꝛc. Uhrkunden und bekennen hiemit für Uns, Unsere nachkommende Herrschaft, und allermänniglich, daß Uns von E. Erb. Rath und Gemeinde Unser Stadt Goldingen, Ihre nachfolgende auf Pergament beschriebene ꝛc. ꝛc.** Nos itaque MICHAEL Rex praedictae supplicationi benigne annuentes, praeinsertas literas Ciuitati Goldingensi ab Illustrissimis Ducibus Curlandiae & Semigalliae concessas & seruientes, in omnibus earum punctis, clausulis, articulis, conditionibus, paragraphis, ex plenitudine potestatis Nostrae Regiae, approbandas, confirmandas, innouandas & ratificandas esse censuimus, vti quidem approbamus, confirmamus, innouamus, & ratificamus, defectus omnes, si qui in eisdem literis reperiuntur, authoritate Nostra supplemus praesentibus literis Nostris, vim & robur debitae ac perpetuae firmitatis, in quantum earum vsus habetur, & legi non repugnant, semper obtinere debere easdem decernentes. In quorum maiorem fidem praesentibus manu Nostra subscriptis, Sigilla Regni & Magni Ducatus Lithuaniae subappendi iussimus. Datum Cracouiae in Comitiis Felicis Coronationis

tionis Noſtrae Die IX. Menſis Nouembris, Anno Dni. MDCLXIX. Regni Noſtri Poloniae Primo Anno.

Michael Rex.

Confirmatio iurium Ciuitatis Goldingenſis in Curlandia

Valerianus Stanislaus Rogatianus, Jud. M. D. L. Notr. mpp.

(L. S. R. P. penſ.) (L. S. M. D. L. penſ.)

No. III.

MICHAEL Dei Gratia Rex Poloniae Magnus &c. &c.

Significamus praeſentibus literis noſtris, quorum intereſt, vniuerſis & ſingulis. Exhibuiſſe Nobis Spectabilem Martinum Gamper Plenipotentem Ciuitatis Windauienſis in Curlandia Quatuor literas papireas Authenticas, Inſtrumentis Notariorum Publicorum per modum vidimus comprehenſas, Jura & Priuilegia ab Illuſtriſſimis in Liuonia Curlandiae & Semigalliae Ducibus, eidem Ciuitati Windauienſi ex antiquo conceſſa, in ſe continentes, ſanas, ſaluas & illaeſas, Omnique ſuſpicione vacuas. Supplicatumque Nobis nomine eiusdem Ciuitatis, per certos Conſiliarios Regni, vt easdem literas de plenitudine Poteſtatis Noſtrae Regiae approbare, innouare & confirmare dignaremur. Quarum literarum tenor hic ſequitur & quidem Priorum eiusmodi

Wie *WOLTER* von *PLETTENBERG*, Meiſter tho Lieſland, ꝛc. ꝛc.

Nos itaque MICHAEL Rex dictae Supplicationi benigne annuentes, praeinſerta Quatuor Inſtrumenta Jura & Priuilegia Ciuitatis Windauienſis in ſe complectentia in omnibus eorum punctis, Clauſulis, articulis, conditionibus approbanda, innouanda & confirmanda eſſe duximus, vti quidem de plenitudine Poteſtatis Noſtrae Regiae approbamus, innouamus, confirmamus, defectus, ſi qui in eis reperiuntur, Authoritate Noſtra, ſupplemus, praeſentibus litteris Noſtris, vim & robur debitae ac perpetuae firmitatis, quantum Juri publico non repugnant, & vſus earum habetur, ſemper eas obtinere debere, decernentes. In quorum fidem praeſenti manu noſtra ſubſcriptas Sigillis Regni & Magni Ducatus Lithuaniae ſubappenſis muniri iuſſimus. Datum Cracouiae in Conuentu felicis Coronationis Noſtrae die IX. Menſis Nouembris Anno Domini MDCLXIX. Regni Noſtri Poloniae Primo Anno.

Michael Rex.

(L. S. R.) (L.S. M. D. L.)

No. IV.

VLADISLAVS Dei Gratia Rex Poloniae Magnus Dux, &c. &c.

Significamus praeſentibus litteris noſtris, quorum intereſt, vniuerſis & ſingulis, ſupplicatum Nobis humillime fuiſſe nomine Ciuitatis Mitouienſis Ducatus Curlandiae, vt eam circa iura Statuta, Libertates & Conceſſio-

cessiones ab Illustri Principe Domino FRIDERICO in Liuonia Curlandiae ac Semigalliae Duce datas, & Statum eius Ciuitatis tam Ecclesiasticum quam Secularem, & limites atque granities continentes, quae Nobis in originali exhibita fuerunt, conseruare, ac illa & illas confirmare, approbare, & ratificare dignaremur. Nos iustae huic Supplicationi annuentes, pro authoritate nostra Regia, Jura, Statuta, Libertates & Concessiones & omnia ac singula in iis statutis & concessionibus contenta, cum omnibus & singulis illorum punctis, clausulis & continentiis ex certa scientia nostra confirmamus, approbamus, & ratihabemus, ipsaque & ipsas perpetuum firmitudinis robur obtinere volumus. In cuius rei fidem praesentes manu nostra subscriptas Sigillo Regni, Magnique Ducatus Lithuaniae communiri iussimus. Data Wilnae die XXIII. mensis Julii, Anno Domini MDCXXXIII. Regnorum nostrorum Poloniae primo & Sueciae secundo &c.

Vladislaus Rex. (L.S. R. pens.) (L.S. M.D.L. pens.) Marcianus Trispha, Referendarius & Notarius Mag. Duc. Lithu.

No. V.

JOANNES CASIMIRVS Rex Poloniae Magnus &c. &c.

Significamus pluribus his Nostris quorum interest vniuersis & singulis, supplicatum nobis humillime fuisse nomine Ciuitatis Mitouiensis Ducatus Curlandiae, vt eam circa iura Statuta libertates & Concessiones ab Illustri Principe Domino FRIDERICO in Liuonia Curlandiae, ac Semigalliae Duce datas & Statum eius Ciuitatis tam Ecclesiasticum quam Secularem, & Limites atque granities continentes, quae nobis in Originali exhibita fuerunt, conseruare, ac illa & illas confirmare, approbare, & ratificare dignaremur. Nos iustae huic Supplicationi annuentes pro authoritate Nostra Regia iura, statuta, libertates & concessiones & omnia ac Singula, in iis Statutis & concessionibus contenta, cum omnibus & Singulis illorum punctis clausulis, & continentis pro vt Serenissimus Diuae mem. VLADISLAVS IV. Rex, Praedecessor & Frater noster desideratissimus ipsaque tali Priuilegio suo de Actu & dato Vilnae die XXIII. mensis Julii Anno MDCXXXIII. confirmauit, ita & nos confirmamus, approbamus, & ratihabemus, ipsaque & ipsas perpetuum firmitudinis robur obtinere volumus, in cuius rei fidem praesentes manu Nostra subscript. Sigill. Regni & Magni Duc. Lithuan. communiri iussimus. Datum Cracouiae in Conuentu Regni Generali felicis Coronationis nostrae die decima Mensis Februarii, Anno Domini MDCLIX. Re:

Joannes Casimirus Rex.

(L.S.) (L.S.) Matths Cilecky, Secr. Regmtis.

No. VI.

MICHAEL Dei Gratia Rex Poloniae Magnus &c. &c.

Significamus praesent. literis Nostris quorum interest vniuersis & singulis, supplicatum Nobis fuisse nomine Ciuitatis Mitauiensis Ducatus Curlandiae, vt eam circa Jura, Statuta, libertates & Concesiones, ab Illustri Prin-

Principe Domino FRIDERICO in Liuonia Curlandiae ac Semigalliae Duce datas & ſtatum eius Ciuitatis, tam Eccleſiaſticum, quam Secularem & limites atque Granities continentes, quae Nobis in Originalis Tranſumpto Notarii Publici Nobilis Bartholdi Meyer dicti Rautenfels ſubſcriptione & Sigilli Judicialis Ducalis appresſione authenticato exhibita fuerunt, conſeruare ac illa & illas, confirmare, approbare & ratificare dignaremur. Nos iuſtae huic Supplicationi annuentes, pro authoritate Noſtra Regia Jura, Statuta, Libertates & Conceſsiones & omnia ac ſingula in iis Statutis & Conceſsionibus contenta, cum omnibus & ſingulis illorum punctis, clauſulis & continentiis, prout Serenisſimi Praedeceſſores Noſtri Vladislaus IV. & Johannes Caſimirus, ſpecialibus Priuilegiis ſuis, vno de Actu & dato Vilnae die vigeſima tertia Menſis Julii, Anno Domini MDCXXXIII. altero Cracouiae in Conuentu Regni Generali felicis Coronationis die decima Menſis Februarii, Anno Domini MDCXLIX. confirmauerunt, ita & nos confirmamus, approbamus & ratihabemus, Ipſaque & ipſas perpetuum firmitatis robur obtinere ſemper debere volumus. In cuius rei fidem praeſentes manu Noſtra Regia ſubſcriptas Sigillis Regni & Magni Ducatus Lithuaniae ſubappenſis muniri iuſſimus. Datum Cracouiae in Conuentu Regni Generali felicis Coronationis Noſtrae die IX. Menſe Nouembris, Anno Domini MDCLXIX. Regni noſtri Poloniae Primo Anno.

Michael Rex. (L. S. R.) (L. S. L. S. M.D.L.) Valerianus Stanislaus, Judic. Archid. Viln. M. D. L. Notar. mpr.

No. VII.

JOANNES CASIMIRVS Dei Gratia Rex Poloniae &c. &c.

Significamus praeſentibus literis Noſtris, quorum intereſt vniuerſis & ſingulis. Exhibitas Nobis eſſe tres pargameneas, manu Sereniſſimi olim Vladislai IV. Fratris Noſtri Chariſſimi ſubſcriptas Sigilloque Regni communitas, continentes in ſe confirmationem Jurium Statutorum ac libertatum Ciuitatis Bauſcenſis Ducatus Curlandiae, ab Illuſtri olim Principe Domino Friderico in Liuonia Curlandiae & Semigalliae Duce in Anno Milleſimo Sexcenteſimo Trigeſimo Quinto, prima die Menſis Auguſti Annenburgae datas, & conceſſas, ac ſeorſiuo diplomate eiusdem Illuſtritatis ſuae contentas, coram Nobis itidem productas, manu ipſiusmet Illuſtris Principis ſubſcriptas, Sigilloque communitas ſanas ſaluas, ac omni ſuſpicionis nota carentes. Supplicatumque Nobis, vt easdam literas tam Sereniſſimi olim Vladislai Fratris Noſtri Chariſſimi confirmatorias, quam etiam ipſas originales ab Illuſtri olim Friderico in Liuonia, Curlandiae & Semigalliae Duce emanatas, authoritate quoque Noſtra Regia approbare, ratificare, & confirmare dignaremur. Quarum quidem Sereniſſimi olim Vladislai literarum tenor de verbo ad verbum ſequitur huiusmodi: VLADISLAVS IV. Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſouiae, Samogitiae, Liuoniae, Smolensky, Czernichouiaeque, nec non Suecorum, Gothorum ac Vandalorum haereditarius Rex. Significamus praeſentibus litteris Noſtris; quorum intereſt vniuerſis & ſingulis, ſupplicatum Nobis fuiſſe per certos Conſiliarios Noſtros nomine Ciuitatis Bauſcenſis Ducatus Curlan-

 

diae, vt eam circa Jura, Statuta, libertates, & conceſſiones ab Illuſtri olim Principe Domino Friderico in Liuonia Curlandiae & Semigalliae Duce in Anno Milleſimo Sexcenteſimo trigeſimo Quinto prima die Menſis Auguſti Annenburgae datas, & ſtatum eius Ciuitatis tam Eccleſiaſticum, quam Saecularem & limites atque granities iurisdictionemque Ciuilem continentes quae Nobis in originali eiusdem memorati Illuſtris Principis manu propria ſubſcriptae Sigilloque eiusdem munitae exhibitae fuerunt, integre, pacifice, ac inuiolabiliter conſeruare omniaque & ſingula, quae in illo Ducalis Diplomatis Originali continentur, confirmare, approbare, & ratificare dignaremur. Cui Conſiliariorum Noſtrorum pro memorata Ciuitate Bauſcenſi interpoſitae Supplicationi eo in primis attento, quod illa ipſa Ciuitas ſub totum belli Guſtauiani tempus, Sereniſſimo olim Parenti Noſtro deſideratisſimo, ac Nobis ipſis fidelis extitit, nec minis aut pollicitationibus tenore ſubiectionis Nobis debitae ſuam in manus hoſtium tradidit conſtantiam, benigne ac clementiſſime annuentes, de plenitudine ſupremae poteſtatis authoritatisque Noſtrae Regiae, omnia eadem iura, ſtatuta, libertates, conceſſiones, non ſolum ex parte negotiationum, mercationum, commodorum, Vtilitatum, limitum, granitierum, ſed & ex parte ipſius iurisdictionis Ciuilis, quam a nemine ab hoc tempore praeiudicioſe debilitandam, aut infringendam quoquo modo volumus, vniuerſaque & ſingula in iisdem ſtatutis & conceſſionibus Ducalibus contenta, in omnibus eorum punctis, clauſulis, articulis, conditionibus, contentis ac ligamentis, ex certa & ſpeciali ſcientia Noſtra Regia praeſentis huius Priuilegii Noſtri vigore confirmamus, approbamus & ratihabemus, atque adeo perpetuae firmitatis robur obtinere declaramus atque ſtatuimus. In quorum fidem praeſentes manu Noſtra ſubſcriptas Sigillo Regni Noſtri communiri iuſſimus. Datum Varſauiae die octaua Menſis Februarii, Anno Domini MDCXLV. Regnorum, Noſtrorum Poloniae XII. Suec. vero XIII. Anno. VLADISLAVS Rex. THOMAS VIEYSKI, *Reg. Majeſt. Secretar. mpp.* L. S. Nos itaque JOANNES CASIMIRVS Rex, praefatae ſupplicationi nomine eorundem Ciuium Bauſcenſium apud Nos interpoſitae vti iuſtae, benigne annuentes, de plenitudine ſupremae poteſtatis authoritatis Noſtrae Regiae, omnia eadem iura, ſtatuta, libertates, immunitates, ac conceſſiones in ſupraſcriptis, tam Serenisſimi olim Vladislai Fratris Noſtri, quam & Originalibus ab Illuſtri olim Duce Curlandiae Friderico datis expreſſas, acſi hic de verbo ad verbum inſertae, approbandas, confirmandas & ratificandas eſſe duximus, prout quidem auth. Noſtra in omnibus punctis, clauſulis, articulis, Conditionibus ac ligamentis approbamus, confirmamus & ratificamus praeſentis Priuilegii Noſtri vigore, easdemque robur debitae firmitatis obtinere debere volumus, ac ſtatuimus. In quorum omnium fidem, praeſentes manu noſtra ſubſcriptas, Sigillis Reg. & M. D. L. communiri mandauimus. Datum Cracouiae in Comitiis felicis Coronationis Noſtrae die XIII. Menſis Februarii. Anno Domini MDCXLIX. Regnor. Noſtror. Polon. & Suec. Primo.

Joannes Caſimirus Rex.

(L. S. R.) (L. S. M. D. L.) Matths Cielecky, Secr. Reg. Maj.

Confirmatio certorum Statutorum & Jurium Ciuitati Bauſcenſi in Curlandia ab Illuſtriſſimo olim FRIDERICO Duce Curlandiae conceſſor: & a Sereniſſimo VLADISLAO confirmator:

No.

No. VIII.

JOANNES Tertius Dei Gratia Rex Poloniae &c. &c.

Significamus praeſentibus Litteris Noſtris quorum intereſt vniuerſis & ſingulis, exhibitas coram Nobis eſſe Litteras papireas infra ſcriptas ex vero Originali ſuo Priuilegio deprompitas & ex fide nobilis Chriſtiani Voldenſcher Sac. Reg. Maieſtatis Noſtrae & Sueciae Notarii publici iurati manu ſubſcriptas & Sigillo ipſius munitas, ſanas, ſaluas, illaeſas, omnique prorſus Suſpicionis Nota carentes, Priuilegium Sereniſſimi olim Diuae Memoriae Joannis Caſimiri Praedeceſſoris noſtri Ciuitati noſtrae Libauienſi Ducatus Curlandiae, ratione mercimoniorum ſeruienti in ſe continentes; Supplicatumque nobis eſſe, nomine eiusdem Ciuitatis Libauienſis, quatenus easdem Literas authoritate noſtra Regia, approbare confirmare & ratificare dignaremur, quarum quidem Literarum tenor de verbo ad verbum ſequitur, eſtque eiusmodi.

JOANNES CASIMIRVS Dei Gratia Rex Poloniae &c. &c.

Significamus praeſentibus Literis noſtris, quorum intereſt vniuerſis & ſingulis, quod cum ea ſit Regis Principisque decentiſſima Virtus, vt non ſolum ſalutis integritatisque Populorum rationem habere, ſed & eorum vtilitatem promouere cupiant, maxime tamen illis ſuam Imperantes teſtari debent benignitatem, quorum inſignem erga ſe fidei Conſtantiam & Patriae ſalutis defendendae calamitoſo rerum ſtatu egregiam curam expertam habent. Quam cum Libauienſis Ciuitas, hoc afflicto Ducatus Curlandiae per hoſtium ferociam tempore ſingulari fidelique Zelo, procul dubio praeſtitiſſet, neque ſumptibus ad ſui Patriaeque Defenſionem, reique tormentariae nobis inſuper ſubminiſtrationem pepercifſet, facile Regiam noſtram in ſe conuertit beneficentiam, vt tam bene meritae Ciuitatis rationem haberemus, eamque munificentia noſtra pro gratia noſtra proſequeremur. Itaque quo maiora in dies incrementa, debitorumque hac calamitate contractorum ſumere poſſet Leuamen, ſubueniendum ea in re ſupplicationi eius, omniaque, quae huius Ciuitatis Jura vtilitatemque impedire videbantur, tollenda voluimus, volumusque praeſentibus Literis noſtris. Inprimis vero quoniam praeteritis Annis, tam Nobiles ipſi Curlandiae Incolae, quam ducales officiales ſine omni Jure Lucri tantum proprii priuatique gratia Ciues Libauienſes mercimonia ſua, frumenta, pecora empta, aut vendenda, tam nauali fluuio inferiori Bartauſchenſi, quam terreſtri itinere ducentes impedire, detinereque ſoleant; ne amplius vllus eos tam ex magno Ducatu Lithuaniae quam aliis finitimis Ditionibus, Mercimonia frumenta, pecora, resque alias, inuehendis, aut ex Ducatu Curlandiae, terra ſeu fluuio Barthauſchenſi euehentes impedire detinereque audeat, ſed tuto, ſecure, & libere perſoluto publico ſolitoque Thelonio tranſire, abhinc perpetuo, absque vlla priuata exactione permittat, habereque volumus, ſub refuſione damnorum & poenis contra violatores Securitatis, noſtrique Priuilegii ſancitis.

Non minus damnum inferunt dictae Ciuitati Libauienſi Ciues Mietauienſes, aliique Ducatus Curlandiae & Semigalliae incolae, cum merces ſuas, frumenta, caeteraque venalia Libauiam Curribus deuehendo, illa aut extraneis Mercatoribus diuendunt, aut ipſi Conductis ad id nauibus ex eo Loco ad extraneas Ciuitates auehunt. Ob quam cauſam mercium, frumen-

mentorumque Ciuium Libauiensium venditio retardatur, vilescitque. Habere itaque volumus, vt nulli Ciui Mitauiensi, aut alteri cuipiam Ducatus Curlandiae & Semigalliae, quascunque merces Libauiam advexerit, illas Nemini extraneo Mercatori, nisi Ciuibus Libauiensibus diuendere, neque inde conductis Nauibus ad exteras vrbes, Ciuitatesque euehere, sub confiscatione Mercium liceat. Quia vero in graue Ciuium Libauiensium praeiudicium damnumque multi Aduenarum Mercatorum Factores, tacitique Negotiatores, in Ciuitate Libauiensi reperiuntur, qui deposita non diuendita Extraneorum Mercimonia vario praetextu apud se seruando, aut quasi a se empta simulando, viliorique postea precio vendendo, magnum, Ciuibus inferunt per eas factiosas Negotiationes, damnum; Nemo in futurum similis factionis extraneae Negotiator, post discessum Nauium, vllas merces cuipiam alteri, nisi Civibus Libauiensibus pretio in foro publico pro tunc currenti, vendere, multo minus eas ab Aduenis, seu incolis eum in modum emere, nisi more Ciuitatis eius solito, audeat, sub amissione mercimoniorum rerumque. Accedit ad incommodum & vtilitatis praefatae Ciuitatis impedimentum, quod vicini eius bonorum Nobilium Arendatores, Agricolae, frumenta, ceteraque Semina, & fructus aggrestes, in Ciuitatem vehentes in via detinere, eadem ab ipsis emere, tum demum ipsi Ciuibus Libauiensibus in maiori precio vendere soleant; vnde & anonae Caritas, & oppidanorum inopia oriri consueuit. Ne proinde cuipiam vicino Arendatori, in posterum tales praepeditiones, praeiudiciaque eidem Ciuitati facere, seque Mercatorum negotiis immiscere liceat; sub amissione emptorum interdicimus. Insuper quo memorata Ciuitas, maiorem gratiae nostrae Regiae Liberalitatem experiatur, modumque exsoluendorum debitorum incrementique sui habeat: quum Illustrissimus Curlandiae & Semigalliae Fridericus Dux ad decem Annos eadem de causa exactionem Censumque, ab omnibus in genere inuehendis & Nauibus euehendis Mercibus & frumentis, a singulis Centum florenis grossos sex dictae Ciuitati Libauiensi concesserat; Nos ex benignitate nostra Regia eam exactionem, in bonum commodumque eius Ciuitatis publicum conuertendam meliorando scilicet per grossos Decem a Singulis centum florenis ab omnibus in genere & specie mercimoniis, frumentisque & pecoribus caeterisque rebus inuehendis aut euehendis, in perpetuum eidem Ciuitati Libauiensi concedimus, eamque penes omnes & singulas praefatas concessas immunitates, Nos, conseruaturos, pro nobis & Serenissimis Successoribus nostris promittimus. Juribus Ducatus Curlandiae & Semigalliae per omnia Saluis, quod omnibus quorum interest, praesertim vero statibus ordinibus, nobilibus, Magistratibus, Omnibusque in vniuersum Ducatus Curlandiae & Semigalliae incolis, notum facientes mandamus, ut praedictam Ciuitatem Libauiensem, circa easdem a Nobis concessas libertates & ipsi conseruent, & ab omnibus obseruari curent pro gratia nostra. In cuius rei fidem praesentes manu nostra subscriptas Sigillo Regni Communiri iussimus. Datum Varsouiae die XXI. Mensis Februarii Anno Domini MDCLIX. Regnorum nostrorum Poloniae & Sueciae XI. Anno.

Joannes Casimirus Rex.

(L. S. Reg.) (L. S. M.D.Litt.)

Priui-

Priuilegium ratione mercimoniorum Ciuitatis Libauienſis Ducatus Curlandiae.

Euariſtus Joannes Belzecky.

Copia haec cum vero ſuo Originali, cum quo fideliter collata, de verbo ad verbum concordat.

Chriſtianus Volderſcher,
Sacr. Reg. Maj. Poloniae & Sueciae Notarius publicus iuratus Manu mea.

(Locus ipſius Sigilli.)

Nos itaque JOANNES III. Rex Supplicationi praefatae vti iuſtae, benigne annuentes, praeinſertas Literas in omnibus earum punctis, Clauſulis, Articulis, Nexibus & Ligamentis approbandas, confirmandas & ratificandas eſſe duximus, vti quidem (in quantum Communi Juri non repugnant) approbamus, confirmamus, & ratificamus, praeſentibus Literis noſtris decernentes easdem perpetuae firmitatis valorem obtinere debere. In cuius rei fidem, praeſentes manu noſtra ſubſcriptas Sigillo Regni & M. D. Lithuaniae communiri iuſſimus Datum Varſauiae in Comitiis Regni generalibus Die XII. Menſ. Aprilis. Anno Domini MDCLXXVII. Regni noſtri Poloniae III.

Joannes Rex.

(L. S. R. penſilis.) (L. S. M. D. Lith. penſ.)

Confirmatio Priuilegii Sereniſſimi olim JOANNIS CASIMIRI & JOANNIS Tertii Ciuitati Libauienſi Seruiens.

Matthias Martianus Ladovsky,
Sacr. Reg. Maj. Secr. mpp.

No. IX.

Ad perpetuam rei memoriam Nos VLADISLAVS IV. Dei gratia &c. &c.

Significamus praeſentibus literis noſtris, quorum intereſt, vniuerſis & ſingulis. Heroum & Prudentum magnorumque Principum eſſe, pro officio Magiſtratus ſui a Deo impoſiti ſedulo in id incumbere, curamque ſuam in eo ſolide defigere, vt Reſpublicas & Ducatus ſuos non ſolummodo reddant omnibus modis eﬄoreſcentes, adeo, vt ciuilis felicitatis apicem contingere valeant, verum etiam in puluere ſuo adhuc iacentes, aut collapſos, oppidorum & ciuitatum ornamentis illuſtrent, & ſic muneris ſui egregia & praeclara poſt ſe relinquant ſpecimina; Id, quod cum teſtantibus veterum recentiorumque Literarum monumentis ſummi Reges & Principes in effectum deducere committerentur factum eſt, vt omnia fere Regna & Imperia in ſuis initiis exigua, poſtmodum praeclariſſimarum ciuitatum & oppidornm multitudine & nitore ampliſſima reſplendeuerint. Haec ſecum bene perpendens Illuſtriſſimus olim Princeps Dominus Fridericus Curlandiae & Semigalliae in Liuonia Dux Fidelis Princeps feudatarius, vt cum faſces Ducatus legitime acquiſiuiſſet, in ipſis ferme Bellonae furoribus in id incubuit, vt Ducatui ſuo oppidorum commoditatibus bene proſpiceret, elegerat locum intentioni congruum ad Dunae fluuii ripam, fundum nimirum

rum in Bonis Sehrensibus ab olim Illustritate sua a Nobilibus quibusdam coemptis., iure terrestri in Illustrissimam Coniugem suam postea transfuso gaudentibus, sat amplum, cui fundo erectioni oppidi consecrato deesse nolentes, Incolae & Aduenae adeo confluxerant, vt in egregiam multitudinem excresceret oppidum. Caeterum validius ingruente bello Carolino Suecico (vti assolet,) ciues iniuriarum bellicarum impatientes, alii alio concesserant, alii ferro hostili, fame & peste intereuntes oppidum suum reddiderant vacuum, adeo vt belli inclementia usque ad extrema vitae Illustritatis suae tempora penitus iacuit dirutum. Illustrissima autem Princeps Domina Elisabetha Magdalena nata Princeps Stetini, Pomeranorum in Liuonia Curlandiae & Semigalliae Ducissa, Cognata Nostra Charissima omnia praemissa apud animum suum perpendens, existimationemque suam & memoriam ducalem sacrae posteritati transmittere volens, in animum induxit, opus a Praedecessore ducali coniuge suo inchoatum, denuo reassumere, oppidumque in eo ipso Bonorum Sehrensium perpetuae Donationis iure ad se, & liberrimam suam dispositionem post Illustrissimum Coniugem suum deuolutorum loco resuscitare, eo ipso animi sui gratitudinem erga Charissimum olim Coniugem suum Curlandiae Ducem, & amorem erga Ducatus illius quoscunque Incolas contestatura, facta eo nomine per Generosos Consiliarios suos publicatione, areas, fundos & agros per sortes cuilibet Aduenae assignari iussit, & omnia expedire, quae ad rudimenta huius instituti pertinere videbantur. Verum enim vero cum nulla conuersatio ciuilis beata dici mereatur, nisi in ea sanctae Justitiae ratio, & in omnibus actionibus ordo, anima politiae conueniens diligenter obseruetur; Jus huic oppido instaurando hactenus Neustetchen dicto, ab Illustrissima Ducissa in recordationem Illustrissimi Principis Coniugis olim sui Charissimi Fridrichstadt appellato, & ab hinc in posterum appellando, municipale conueniens adornari instituit, praememorata Illustrissima Ducissa Cognata Nostra charissima, tametsi minus dubitet, omnia instituta eiusdem a pio Successore suo post fata sua obseruatum iri, tamen, vt alacrius homines & viri boni ad incolendum oppidum vndiquoque alliciantur, & iuris sui municipalis, immunitatumque ciuilium in tantum certiores reddi possint, diligenter & officiose a Nobis per sedulas literas suas efflagitat, vt hocce institutum Illustritatis suae iusque municipale, adornandum, authoritate Nostra Regia approbemus, & confirmemus. Nos Illustrissimae Principis Ducalis Viduae Cognatae Nostrae Charissimae animi intentionem ad emolumentum Ducatus Regnique inde Nostri directam magnifacientes, merito hunc gratiosum affectum Nostrum Regium & apud inclytam rempublicam nostram condignam Laudem & apud Ducatum illum perpetuam grati animi tantae Principis memoriam mereri statuentes, institutum hocce laudabile Illustritatis suae, iusque municipale siue iam conscriptum siue de futuro conscribendum, cum in eo nihil iuri communi & consuetudinibus honestis contrarium contineri persuasum teneamus, & alias oppidi illius immunitates, in omnibus & per omnia in gratiam & fauorem Illustritatis suae, Cognatae Nostrae Charissimae vti quoque areas, & agros liberalitate Illustritatis distributos & distribuendos approbandum, ratihabendum, & confirmandum esse duximus; prout quidem non solum approbamus, ratihabemus & confirmamus, praesentibus litteris Nostris, sed etiam Nos ipsimet ad diligentem Illustritatis suae petitionem, oppidum illud, iuraque illius & immunitates patrocinio Nostro Regio fouebimus, tuebimur, & manutenebimus, vtque ab aliis idem fiat, serio prouidebimus, perpetuae firmitatis robur iuri illi & immuni-

nita-

nitatibus addicentes. Porro Nos pro Nobis & Sereniſſimis Succeſſoribus Noſtris, promittimus easdem libertates, immunitates, priuilegia, & iura omnia oppido huic ab Illuſtritate ſua conceſſa, firma, rata, inuiolataque a Nobis conſeruatum neque quicquam eis tam in toto, quam in parte diminutum aut derogatum iri, quod & Sereniſſimi Succeſſores Noſtri praeſtabunt. Quod ad omnium & ſingulorum, praeſertim vero Dignitariorum, officialium, Magiſtratuumque terreſtri & ciuili Ducatus Curlandiae pro tempore exiſtenti notitiam deducimus, mandantes, vt praefatos Ciues & oppidanos Friedrichſtatienſes circa libertates, praerogatiuas, & immunitates priuilegio Illuſtritatis ſuae, vel iure municipali ipſis conceſſas, illaeſe conſeruent, & ab aliis quorum intereſt conſeruari faciant, pro gratia noſtra. In cuius rei fidem praeſentes manu noſtra ſubſcriptas Sigilli Regni Magnique Ducatus Lithuaniae communiri iuſſimus. Datum Varſauiae in Comitiis Regni generalibus. Die XIV. menſis Julii, Anni Domini MDCXLVII. Regnorum noſtrorum Poloniae XV. Sueciae vero XVI. Anno. Praeſentibus Reuerendiſſimis, Reuerendis, Illuſtribus, Magnificis & Generoſis Matthia Lubiensky Gneſnenſi, Nicolao Krosnowski Leopolienſi, Archiepiſcopis, Petro Gembicky Cracouienſi, Nicolao Gniewoſz Vladislauienſi, & Pomeraniae, Andrea Szoldrsky Poſnanienſi, Andrea Lescżinsky Culmenſi, Stanislao Pſtrokonsky Chelmenſi, Epiſcopis. Nicolao Potocky Caſtellano Cracouienſi, Supr. Exercituum Regni Generali, Simone Sczawinsky Breſten. Cuiauien. Palatino, Januſſio Radziwil Duci Byrſarum & Dubincorum. Exercituum Magn. Duc. Litthu. Praefecto Campeſtri, Zbigneo de Goray Goraysky Caſtellano Chelmen. Georgio de Theczyn Duce in Oſſolim, Supremo Reg. Polon. Cancellario, Albrechto Radziwil Duce in Olika & Nieswietz, Supr. Magn. Duc. Litthu. Cancellario, Leone Caſimiro Sapieha Magn. Duc. Litthu. Vice-Cancellario, Adamo Kazanowsky Curiae Regn. Marſchalco. Nicolao Oſtrog Pocillatore Reg. Zalesky Reg. Referendario, Stanislao Skarzewsky Cancellariae Reg. Regent. Matthia Cielecky Secretariis & plurimis aliis Aulicis & Secretariis Noſtris fide dignis.

Vladislaus Rex.

(L. S. R.) (L. S. M. D. L.)

Conſenſus ſuper locationem oppidi Duciſſae Curlandiae per defunctum Maritum ipſius inchoati.

No. X.

AVGVSTVS III. Dei Gratia Rex Poloniae Magnus &c. &c.

Significamus praeſentibus Litteris Noſtris quorum intereſt vniuerſis & ſingulis. Productas coram Nobis eſſe Litteras pargameneas Germanico idiomate Scriptas, manu Illuſtriſſimi olim Jacobi in Liuonia Curlandiae & Semigalliae Ducis ſubſcriptas, Sigilloque eiusdem munitas, ſanas, ſaluas, illaeſas, omnique ſuſpicionis nota carentes, libertates & immunitates ciuibus & Incolis tum Presbyteris Ordinis Diui Baſilii Magni Ritus graeco vniti in Oppido Stoboda dicto ſub Jurisdictione Officii Holmaffenſis, in Diſtrictu Selburgenſi penus Dunam ſito & iacente ſeruientes, in ſe continentes. Supplicatumque nobis eſt, quatenus easdem Litteras authoritate Noſtra Regia approbare, confirmare & ratificare, dignaremur. Quarum quidem Literarum

rarum tenor sequitur, estque talis: **Von Gottes Gnaden Wir** *JACOBVS* **in Liefland zu Churland und Semgallen Herzog. Fügen hiemit 2c. 2c.**

Nos itaque AVGVSTVS Rex supra nominatus praefatae supplicationi benigne annuentes praeinsertas literas in omnibus earum punctis, clausulis, Articulis, Conditionibus & ligamentis approbandas, confirmandas, & ratificandas esse duximus; Vti quidem (in quantum iuris est, & vsus earum habetur) Authoritate Nostra Regia approbamus, confirmamus & ratificamus, decernentes easdem vim ex robur debitae ac inuiolabilis firmitatis obtinere debere, in quorum fidem praesentes manu Nostra subscriptas, Sigillo Regni & Magni Ducatus Lithuaniae communiri iussimus. Datum Grodnae die III. mensis Nouembr. Anno Domini MDCCXLIV. Regni vero Nostri XII. Anno.

Augustus Rex.

Casimirus Mtocki,
Dapifer. Wyisogro: Sacr. Reg. Mtis. Sigilli Maioris Regni Secretarius.

Felix Owsiany,
Pincerna Districtus Wotkowyscensis, Sacr. Reg. Maj. Sigilli Maioris, M. D. L. Secretarius.

Confirmatio Priuilegii Ciuibus & Incolis, tum Presbyteris Ordinis Diui Basilii Magni Ritus Graeco Vniti, in oppido Stoboda dicto sub Jurisdictione officii Holmoffensis, in Districtu Selburgensi, penes Dunam, in Ducatu Curlandiae consistente, collocati & seruientis.

(L. S. R.P.) (L.S. M.D. L.)

No. XI.

Ad ea, quae Nobiles Parochiae Bauscensis contra Praeconsules, Consules & Ciuitatem ibidem attulerunt, haec vtriusque partis iuribus allegatis examinatis sententia fertur.

Extractum punctorum huc pertinentium.

Quae contra § 4. Ordinationis Politicae Bauscensis de reditibus Vrbis Nobiles obiicere voluerunt, quoniam thalerus, qui a lanionibus contribuitur, pro commodo Regiminis Ciuitatensis a Duce concessus, Princeps non videt, quomodo curas Nobilium modus ille contribuendi tangere possit.

Quoad § 5 & 6. eiusdem tituli iustum habetur, vt illi, qui in Domibus Nobilium habitant, & ad instar Ciuium quaestum Ciuilem exercent, id quoque praestent, ad quod alii obligati sunt, quod autem ad ipsos Nobiles si in Domibus suis habitant, trahi non potest, quandoquidem hac in re a Magistro Ordinis Woltero de Plettenberg, ao. 1511. eodem modo pronuntiatum est.

Sub Tit. de mensura.

Quoniam punctum aequalis mensurae totam Prouinciam tangit, & in nouissimo habito conuentu publico ad sequentem dilatum, in quo aliquid certi statuendum est, sic in eo acquiescere oportet.

Sub

Sub Tit. de Nundinis.

In hoc puncto Ordinationi Politicae standum, sed in nundinis praefecturarum Ducalium Resolutioni, a Ducali Celsitudine piae memoriae opificibus datae, standum est.

§ 4. Quia circa hoc punctum (nempe ratione emtionis in foris hebdomadalibus) ante Ordinationem Politicam ita obseruatum fuit, sic & porro obseruandum est, emtione tamen Nobilitati quoad sibi necessaria libera.

De coquenda cereuisia.

Quia finis § 6. hominum propriorum tempore famis derelictorum Statutis & iuri communi conformis, sic merito illius dispositioni standum est.

§ 7. Quoniam Controuersia liberae mercaturae omnes Ciuitates tangit, & illa diuersis Laudis publicis ad declarationem Regiam remissa, ita in eo acquiescendum est.

De cereuisiae venditione, quum Nobiles ratione iuris acquisiti nihil docuerunt, secundum obseruantiam coeterarum Ciuitatum Ordinatio Politica obseruanda erit.

Quod attinet ad Jurisdictionem in subditos in Domibus Nobilitatis & eius Cauponis, quia a R. Commissione super hoc puncto haec declaratio facta: De iurisdictione in subditos Nobilium &c. &c. ideo & porro eidem conformiter procedetur. Si quis autem Kmethonum aduenientium in Ciuitate delinqueret, & poena Capitalis infligenda, iurisdictio Capitaneo tunc competit, in leuioribus autem delictis Magistratus est iudex, vtpote vbi quis delinquit, ibi quoque multandus est.

Ratione propoliorum, cum haec contra Lauda publica sint, Princeps Illustrissimus Praefecturis suis iniunget, vt omittantur, & depraehenso merces auferantur, sed sibi promittit quoque, quod Nobilitas idem quoque factura sit, quod Laudum publicum exigit. Actum die 10. Junii, Anno 1644.

(L. S. D.) Bartholt Meyer dictus Rautenfels,
Protonotarius, mpp.

No. XII.

Ad ea, quae Nobilitas Parochiae Bauscensis contra Ordinationem Politicam eius Ciuitatis intulit, deciditur; Quia Ciuitas ad rem Judicatam, quam post factum Laudum publicum anni 1642. ex controuersia partium consequuta, & quae in proxime subsequuto Laudo publico anni 1645. in suo vigore relicta est, ad confirmationes quoque Regias prouocat, super quibus diiudicare huius non est loci, ideo adhuc semel haec res ad futurum Regem remittitur, & differtur. Actum Mitauiae die 25. Sept. Anno 1648.

Districtus protestabatur de hoc & anterioribus Decretis, de talibus nihil sciret neque hoc ex actis sibi extradi exposcere vellet.

Ciuitas reprotestabatur.

(L. S. D.) Barthold Meyer dictus Rautenfels,
Protonotarius, mpp.

No. XIII.

I.

Ex porrecta Copia ad officium & Acta praeſentia Caſtrenſis Capitaneatus Cracouienſis perſonaliter venientes ſpectabiles Ludolffus Kedeln, Conſularis Mitauienſis, & Joannes Hirſchfeldt Notarius Bauſcenſis, in Semigallia Ciuitatum eorundem vt & Curonenſium Ciuitatum pro tempore Mandatarii cum Miniſteriali Generali proponentes: Quod cum Nobiles Parochiae Bauſcenſis eius & Ciuitatis Politiam in illis potiſſimum punctis, quae negociationem Jurisdictionemque Ciuicam concernerent, impugnantes diuerſis vicibus tam coram Illuſtriſſima ſua Celſitudine Curlandiae & Semigalliae Duce Jacobo, tum abſente eo, coram Dominis Ducalibus Conſiliariis eo nomine egiſſent, tandem Ducales Conſiliarii pro cauſae iſtius qualitate, ne forte arrepto ab alterutra partium Appellationis remedio diuturnus inde ac ſumptuoſus naſceretur proceſſus, eandem ad futuri Regis declarationem remiſerint; Quam quidem Remiſſi ſententiam Parochiales tum reprobantes, contra eam reliquasque omnes in illa Cauſa dictas ſententias proteſtati eſſent; Nihilominus tamen Ciuitatem Bauſcenſem iſtius Remiſſi prout par eſſet, obſeruantem ad Vigilantiae ſuae conteſtationem Ciuitatum Mandatariis hanc ſimul Cauſam commiſiſſe, vt eandem Sacrae Maieſtati Regi ac Domino Noſtro Clementiſſimo ſubiectiſſime expoſituri Regiam deſuper declarationem & deciſionem impetrarent. Quod & hiſce feliciſſimae Coronationis Comitiis factum eſſet. Quippe Sacra Regia Maieſtas omnem Controuerſiae illius ſtatum ſufficienter edocta, Politiam Bauſcenſem a Sereniſſimo ſuo Praedeceſſore Rege Vladislao Quarto glorioſiſſimae Memoriae iam ante confirmatam denuo plenisſime confirmandam eamque ipſam confirmationem grauisſimo inſuper Regii reſponſi authoritate clementisſime muniendam cenſuiſſet. Verum dum haec gererentur, aduenisse etiam Generoſum Philippum Schoepping Parochialem Bauſcenſem eiusdemque Parochiae in tota hac cauſa Plenipotentem, quem cum Generoſo Georgio Viſcher Capitaneo Vindauienſi in Curiae Regiae Camera quadam Regio Senatorio contigua colloquentem, praeſens Johannes Hirſchfeld Notarius Bauſcenſis conſpectus & comiter allocutus, vniuerſa eidem documenta Cauſam hanc concernentia, ne qua impediretur Remisſi actio, communicare promiſiſſet, eo ipſo ſatis innuendo, quam gratus ſibi fuerit ipſius aduentus, ſic enim fore, vt Principalium ſuorum Negotia tanto felicius ſecuriusque expediri posſint; vbi etiam edictus Schoeppingius cum amicabilis Compoſitio, quam expetere viſus fuiſſet, a Notario Bauſcenſi plane negaretur, paratum ſe Regiamque declarationem expectaturam dixiſſet. Ex illo autem tempore Schoeppingium nihil prorſus vel per ſe vel per aliquem ſubordinatum in hac Cauſa molitum, ſed tantum in ſextum vsque diem hic commoratum, vt plurimum in diuerſorio, ac ſi Valetudinarius eſſet, deſediſſe, & tandem Mandatariis cum Cauſa deſertis hinc abiiſſe. Ne igitur Mandatariis aut ſuis Mandati Principalibus forte obiici posſit, ſe clam & in tergum partis vel ad male narrata Regiam illam Confirmationem impetraſſe, cum nihil hic occulte aut ſub & obreptitie ſed aperte omnia egerint; Aduerſario interim Lucem fugiente, cauſamque omnino, vt iam dictum, deſerente, ſed vt potius quocunque ſaepe nominatus Schoeppingius, aut ipſius adhaerentes iam aut futuris temporibus, vbi contra Politiam Bauſcenſem eiusque rite impetratas Regias confirmationes machinaturi eſſent, ea omnia ſuo ipſorum nul-

litatis

litatis vitio prorſus corruant; Proinde Ciuitatum Memoratarum Mandatarii de illo ipſis, vt de omnibus inde emerſis & emergendis damnis & expenſis contra dictum Philippum Schoeppingium eiusque Intereſſentes in optima & plenisſima, quae fieri debet, aut poteſt Juris forma proteſtati, legitimam hanc ſuam Proteſtationem Actis praeſentibus officii huius Caſtrenſis inſcribi ſibique authenticum eius documentum extradi, officioſisſime petierunt, & quod obtinuerunt.

Actum in Caſtro Cracouienſi feria quarta Cinerum, Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo Quadrageſimo Nono.

Hieronimus Smirtantza,
Jur. Capit. C. Cracou. mpp. (L. S.) Correxit Bleſſynski, mpp.

2.

Actum in Curia Regia Varſauienſi Feria ſecunda die Feſti Sancti Valentini Martyris, Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo Quinquageſimo.

Ad officium & Acta praeſentia Caſtrenſia Capitan. Varſauienſis perſonaliter veniens Generoſus Joannes Hartongi Sac. Reginalis Maieſtatis Cubicularius, Spectabilium vero Rudolffi Kedeln Conſularis Mitauienſis, & Joannis Hirſchfeld Notarii Bauſcenſis in Semigallia Ciuitatum eorundem vt & Curonen. Ciuitatum pro tempore Mandatariorum cum miniſteriali Generali proponentium Plenipotens & ſufficiens Mandatarius, nomine eorundem Principalium ſuorum inhaerendo proteſtationi per eosdem Principales ſuos coram Actis quibusuis authenticis Regni factae & recognitae & praecipue proteſtationi in Caſtro Cracouienſi ſub Actu feriae quartae Cinerum in anno Milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo Nono factae ſolenniter coram eodem officio propoſuit. Quod cum Nobiles &c. &c. *Vti in anteriori proteſtatione.*

Joannes Grzybowsky,
Capitan. Varſauienſ. (L. S.)

No. XIV.

Illuſtriſſima Sua Celſitudo FRIDERICVS Dux Curlandiae & Semigalliae id, quod ſibi ab vniuerſis Ciuitatibus Semigalliae & Curlandiae in diuerſis punctis contra Gen. Equ. Ordinem inſcriptis, expoſitum eſt, Gratioſe percepit, & Gen. Equeſtris Ordinis Deputatis, vt ad ea reſponderent, tradidit. Quoniam autem propter ſubito ſuperueniens bellum omnes fere deliberationes ad aliud pacificum tempus dilatae ſunt, ita & nunc hac in re nihil finaliter decidi potuit; Quapropter Celſiſſima Illuſtritas Sua omnes eiusmodi res ad id tempus, quo commode tractari poſſunt, differt, interim vero & vsque omnia expediantur, vniuerſas Ciuitates Exercitio Jurisdictionis, libera mercatura, & poſſeſſione omnium eorum, quae hucusque habuerunt, & quibus vſae ſunt, porro pacifice frui permittit. In fidem ſub appoſito Sigillo Ducali, Datum Mitauiae die 12. Auguſti, Anno 1621.

(L. S.)

No.



No. XV.

VLADISLAVS IV. Dei Gratia Rex Poloniae &c.

Illuſtriſſime Princeps Grate Nobis dilecte! compertum Nobis eſt Ciuitatibus Ducatus Curlandiae propter multifarias mercaturas a nonnullis ex Nobilitate Curlandica exercitas non leuia praeiudicia, & damna adnaſci poſſe, atque enatura eſſe, ita vt non ſolum magnum detrimentum facultatuum ſuarum priuatarum, ſed etiam vniuerſale exitium & Interitus Ciuitatum propter inde ſubſequentem inopiam Ciuium ſit metuenda, neceſſarium itaque ac vtile duximus, ipſis Noſtrum Patrocinium & Praeſidium promittere, quo Ciuitatibus auxilium feratur, & illae a totali interitu & egeſtate liberentur. Requirimus itaque Illuſtritatem Veſtram, vt tam in Noſtro quam ſuo nomine rem cum Gen. Equ. Ordine pertractet, vt ille tam multis & magnis oppreſſionibus & praeiudiciis Ciuitatum, ac multiplici mercatura vtpote quae res ſtatui ſuo nobilitari non parum dedecori eſt, & derogat, deſiſtat, ac abſtineat, & in hac re antiquam conſuetudinem & exempla maiorum ſuorum imitetur, & ſequatur. Quod vti & Illuſtritati Veſtrae damnum infert, ita rem Viris peritis, qui in eam inquirant, & illam certis Legibus circumſcribant, committendam curabit. Non dubitamus, quin Illuſtritas Veſtra; ſi Regia noſtra authoritas rurſus imploranda ſit, rem ſine mora ad Nos remittat, velit Illuſtritas hoc quantocius exequi, & Nos Eidem bonam & Longam a Deo Valetudinem apprecamur. Dabantur Grodnae die Menſis Nouembr. 1636.

No. XVI.

Nos Dei Gratia FRIDERICVS in Liuonia Curlandiae & Semigalliae Dux.

Salutem Noſtram gratioſam, ſpectabiles, prudentes fideliter nobis dilecti.

Quatenus Sacra Regia Maieſtas Rex Noſter atque Dominus longe Clementiſſimus, controuerſiam inter Gen. Equ. ordinem, & vos intercedentem ratione liberae Mercaturae pro amicabili Compoſitione ad Veſtras humillimas Sollicitationes ad Nos remiſerit, id Vobis ignotum eſſe non poteſt. Quoniam vero in diuerſis Mitauiae habitis Conuentibus res ad ordinarium Conuentum publicum, vt Deliberatoriis quoque inſeratur, dilata fuit, & Nos illum in diem 14. Sept. Mitauiae indiximus, & pro Deliberatoriis inſerendo hoc puncto curauimus; Ita in dicto loco & tempore per Mandatarios comparebitis, & hanc controuerſiam ad debitum finem perducere ſatagetis, quod ad Veſtram notitiam perferendum duximus. Datum Annenburgi, die 1. Nouembr. 1637.

(L. S. D.) Fridericus.

No.

No. XVII.

RESPONSVM

Ad humillima Petita Ciuitatum Vniuersique Ordinis ciuici Curlandiae & Semigalliae Ducatus, missis ab iisdem ad Comitia Coronationis Mandatariis Spectabilibus Ludolpho Kedeln, Consulari Mitau. & Joanni Hirschfeld, Notario Bauscensi, Ciuitatum datum.

Quod Ciuitates, & Ordo Ciuicus Curlandiae & Semigalliae Ducatus Sacrae Regiae Maiestati de felici Inaugurationis Successu Diuinam in hoc Regali Throno & longaeui prosperrimique Regiminis Orbi Christiano salutaris benedictionem subiectissimi vouentes, humillime congratulari voluerint, id S. R. Mtas. ceu rem Supremo & directo in eos dominio condignam & ex subiectissima fide & animi constantia promanatam clementissime accipit, & benignissime interpretatur. Imo vt praememoratis Ciuitatibus Ordinique Ciuico gratia & Clementia Regia, qua eosdem quoad usque in fide & constantia illibata erga S. R. Mtem. & suum Principem perseuerauerint, complecti studebit, luculentius constet, Authoritate sua Regia humillimis eorum Supplicationibus & Petitis S. R. Mti. expositis hac benignissima sua declaratione subuenire dignata est.

Et primum quod attinet punctum S. R. Mtas. & ipsamet & Serenissimi Praedecessores sui, Parens & Frater desideratissimi Poloniae Reges a Magnificis Senatoribus & Exercituum Ducibus Ciuitatum illarum vniuersim omnium & singularum praecipue Bauscen. & Mitauiens. illibatam fidem ac in Bellonae furoribus per quadraginta annos non attentis vitae periculis, & fortunarum suarum saepe iteratis deuastationibus fortem ac strenuam constantiam diligentissime commendatam habentes, Easdem quarum quidem nonnullae ante primaeuam Subiectionem & Regno Magnoque Ducatui Lithuaniae incorporationem, reliquae vero ex illo tempore pro emolumento Ducatus & Regni fundatae sunt, quum vna cum Equestri Ciuicus se subiecerit Ordo, vigore Regii huius Responsi non solum circa specialia sua Priuilegia a Diuis Praecedaneis Regibus & moderna S. R. Mte. confirmata, sed etiam circa omnia illa Jura, Libertates ac Immunitates, quae ipsis e Pactis primaeuae Subiectionis insecutis Regiis commissionibus reassumto subiectionis Instrumento, aliisque Vniuersalibus Concessionibus ad instar Ciuitatum & oppidorum Ducatus Prussiae legitimecompetunt, & adnascuntur, a quorum autem plenario viridique exercitio partim turbatus Patriae Status, eumque excipientes hosticae Inuasiones Ciuicum Ordinem aliquantum praepediuerunt, partim desuetudo non nihil deflexit, in integrum restitutas pacifice ac quiete conseruandas esse clementissime declarat.

Cum semper Propolia Prouinciis & Ciuitatibus noxia & damnosa S. R. Mtas. bene sciat, atque adeo imprimis Nobilitari statu indigna, eadem vero a quibusdam de Nobilitate eius Ducatus contra specialia Ciuitatum Priuilegia, toties confirmata, contra tot Recessuum Prouincialium placita, contra omnem denique aequitatem in fundis suis cauponisque viis Regiis adiacentibus, quo minus merces ad Ciuitates destinatumque forum pro communi Ciuibus debito mercantiarum vsu deuehi queant, hactenus sint exercita. Proinde illa vigore praesentis Regii Responsi & Priuilegiorum

Ciuitatensium omnimode sint interdicta, salua Regio Instigatori contra praeuaricantes manente actione.

Cum Ciuitates & Ordo Ciuicus, publicis oneribus & sancitis Legibus & Statutis subiacere debeant, Justum etiam est, vt quoque cum ipsorum scitu & consensu Leges ac Statuta condantur. Quin & S. R. Mtas. hisce clementissime declarat, se corpus istud Statutorum omissis Ciuitatibus & ordine ciuico isthic concinnatum, ante non confirmaturam esse, quam & memoratae Ciuitates Ordoque Ciuicus per suos Deputatos ad ipsorum relectionem & reuisionem personaliter admissi in eodem consenserint.

Vltimo si qui Rusticorum tempore Annonae caritatis alioue afflicto rerum statu a Dominis suis derelicti in Ciuitates confugerint, ibique recepti vitae tolerandae Subsidia adipiscantur aequissimum est, vt illi ipsi apud Ciues tenore Pactorum & Ducatus statutorum permaneant.

Haec est ad humillima petita Ciuitatum & Ordinis Ciuici Ducatus Curlandiae & Semigalliae S. R. Mtis. ex singulari erga eosdem gratia, declaratio, cui vti iustis suis fundamentis nixae, ne a quoquo vllo modo contraveniatur, benigne monens Sacra Regia Maiestas, Ciuitatibusque Ordini Ciuico & modernis eorum Mandatariis gratiam suam Regiam benignissime offerens, easdem Ciuitates ordinemque Ciuicum contra suorum Jurium acquisitorum Turbatores, vt & omnes violentias & petulantes insultus Regio Patrocinio asserere clementissime dignabitur. Datum Cracouiae in Comitiis felicis coronation. die XII. Febr. Anno Domini MDCXLIX.

Joannes Casimirus Rex.

(L. S. R.) (L.S. M. D. L.)

Matthias Cielecky,
S. R. Mtis. Secretarius.

No. XVIII.

JOANNES CASIMIRVS Dei Gratia Rex Poloniae &c. &c.

Illustrissime Princeps sincere Nobis dilecte, Illibatam Ciuitatum Curoniae & Semgallicarum fidem, quam Diuis Nostris Praecedaneis Regibus tenore debitae subiectionis in diuturnis belli motibus aliisque difficultatibus indefesse praestiterunt, & nobismet ipsis praestare, paratae sunt, a Consiliariis nostris quam optime commendatam habentes, easdem dum ad Thronum Nostrum confugientes, Regii Nostri Patrocinii opem, humillime implorare voluerunt, non solum speciali Priuilegiorum suorum confirmatione, sed etiam Regia super subiectissimis ipsarum petitis per Nostrum Responsum declaratione, pro authoritate Nostra Regia plenissimaque Supremi Dominii potestate, dignati sumus. Quae cum iustis suis fundamentis nixa ipsisque primaeuis subiectionis pactis sit conformis, proinde ab Illustritate Vestra benigne requirimus, vt illius tenore praefatas Ciuitates in Ducatus, Regnique Nostri emolumentum fundatis, circa omnia illa Iura, libertates, ac Immunitates, quae ipsis ad instar Ciuitatum & oppidorum Ducatus Prussiae subiectionis primaeuae beneficio, legitime competunt, vindicare velit, iisque imposterum realiter perfrui sinat, faciet eo ipso Illustritas Vestra

ſtra rem aequitate, Maiorumque ſuorum inſtitutis condignam, imprimis vero Regiae Noſtrae voluntati congruam, quam de cetero beneualere cupimus. Datum Cracouiae in Comitiis felicis Coronationis Noſtrae die XII. Menſ. Februarii Anno Domini MDCXLIX. Regnorum Noſtrorum Poloniae & Sueciae Anno Primo.

Ioannes Caſimirus Rex.

Illuſtriſſimo Principi Domino Iacobo Curlandiae & Semigalliae, in Liuonia Duci ſincere Nobis dilecto. (L. S. R.) (L. S. D. L.)

No. XIX.

JOANNES CASIMIRVS Rex Poloniae, Magnus &c. &c.

Magnifici ac Generoſi Sinc. ac fideliter dilecti, Illibatam Ciuitatum Curonenſium ac Semigallicarum fidem, quam Diuis Noſtris Praecedaneis Regibus tenore ſubiectionis debitae in diuturnis belli motibus, aliisque difficultatibus indefeſſe praeſtiterunt, & Nobismet ipſis ſemper praeſtare paratae ſunt, a Conſiliariis Regni Noſtri quam optime commendatam habentes, easdem autem ad Thronum Noſtrum confugientes Regii Noſtri Patrocinii opem ſubiectiſſime implorare voluerunt, non ſolum ſpeciali Priuilegiorum ſuorum confirmatione, ſed etiam Regia ſuper humillimis ipſarum petitis per Noſtrum Reſponſum declaratione, pro authoritate Noſtra Regia, pleniſſimaque Supremi Dominii poteſtate dignati ſumus. Quae cum iuſtis ſuis fundamentis nixa ipſisque primaeuae ſubiectionis pactis ſit conformis; Proinde a Sinc: ac fidelitatibus Veſtris benigne requirimus, vt praefatis Ciuitatibus in Regii Noſtri Patrocinii ſinum tenore eiusdem Reſponſi Noſtri benigniſſime ſuſceptis, tanquam genuinis Ducatus Curlandiae & Semigalliae membris, Veſtrisque Coindigenis eadem iuramenti religione Nobis Regnoque Noſtro adſtrictis, ad efficacem fructuoſamque ſuorum Priuilegiorum omniumque Iurium e pactis primaeuae ſubiectionis ad inſtar Ciuitatum & oppidorum Ducatus Pruſſiae in ipſas legitime redundantium perfruitionem praeſto eſſe velint, minime dubitantes, ſinc: & fidelitates Veſtras ſeſe erga Ciuicum Ordinem (quo magis magisque accreſcente ſua quoque Reſpublica feliciter ſumet incrementa) ita ſe praeſtituras eſſe, vt ſuarum ſincer: ac fidelitatum erga Nos debiti obſequii ſpecimen abunde conſtare poſſit. Quibus viciſſim gratiam beneuolentiamque Noſtram Regiam hiſce benigniſſime delatam volumus. Datum Cracouiae in Comitiis felicis Coronationis Noſtrae die XII. Menſ. Febr. Anno MDCXLIX. Regnorum Noſtrorum Polon. & Suec. Anno Primo.

Ioannes Caſimirus Rex.

(L. S.) (L. S.)

Ad Nobilitatem Curlandiae vt Ciuitates circa iura earum conſeruent.

No.

No. XX.

Ad Reſponſum Regium a DD. Mandatariis Ciuitatum Curlandiae & Semigalliae Gen. D. D. Deputatis Gen. Equ. Ordinis traditum reſpondetur hiſce, quia Conuentus publicus pro hac vice ſucceſſu caruit, ſed in aliud tempus dilatus, Reſolutionem quoque in id tempus differri. Signatum Mitauiae die 5. Iunii 1654.

Heinricus de Plettenberg,
pro tempore Deputatorum Mareſchallus.

No. XXI.

Celſiſſime Princeps, Domine Gratioſiſſime.

Poſtquam Grauamina a Gen. Equ. Ordine antea prolata ad noſtras manus venerunt, ex quibus perſpeximus, quod quaedam contra Ciuitates quoque & ſtatum Ciuicum adducta ſint, ideo pro ſua iuſtiſſima defenſione ſequentia inferre neceſſarium ipſae duxerunt. Antequam autem quicquam pro infringendis Grauaminibus ſtatus Nobilitaris inferant; prouocant adhuc ſemel ad Ius ſuum acquiſitum & radicatum, & ad ea iura, quibus tanquam Homines Germanici liberi non ſolum a prima fundatione priuilegiati, ſed etiam tam Deciſis Commiſſorialibus quam Ducalibus ac Regiis declarationibus & confirmationibus prouiſi, praeſertim vero per nuperrimum obtentum Reſponſum Regium de die 12. Febr. anno 1649. in omnibus punctis & clauſulis redintegrati ſunt, quandoquidem in eo ſequentia continentur: Quum vna cum Equeſtri Ciuicus ſe ſubiecerit ordo &c. &c. ſolenniſſime proteſtantur, ſe, quoniam propoſita Grauamina partim nihil noui in ſe continent, ſed antiqua tantum repetunt, quae vero olim iam ſunt refutata, & diſcuſſa, ab his omnibus per hanc faciendam reſponſionem non latum quidem vnguem diſceſſuras, ſed potius anterioribus ſuis Proteſtationibus iam reiterandis firmiſſime inhaerere.

Extractum punctorum huc pertinentium.

Ad 15. punctum itaque, quod attinet, vniuerſae Ciuitates eum impertinentem reputant, dum ad illud, ſi per id iſti, qui extra Ducatus ſunt, indigitantur, reſpondere non neceſſe habeant, quod ſi autem ſibi per indirectum hoc aliquid imputari velit, iure ſuo acquiſito nituntur, & ſibi in certo caſu vi ſtatutorum §. 62. & nouiſſimi Regii Reſponſi, praeſcriptionem Kmetonum in Ciuitatibus reſeruant.

Quod in puncto 36 pro re Cauponaria & libera emtione & venditione in Nundinis, & foris hebdomadalibus Ciuitatum exercenda iterum recapitulatur, mirandum ſane, quod tam cito, quae in his quoque inter alia anno 1644. die 10. Junii ſententionata ſunt, obliuioni Gen. Equ. Ordo dederit. Quae omnia tamen, vt infra ad punctum 38. fuſius allegabitur, in vim rei iudicatae tranſierunt, & deſuper Regiae Confirmationes ſubſequutae ſunt. Quapropter Ciuitates ne digitum quidem ab his diſcedere poſſunt. Alias notorium eſt, quod in Nundinis Peregrinis ſeu non incolis cum peregrinis ſeu non incolis negotiari liceat, in quo iure quoque nemo impe-

impeditur, quod vero ad fora hebdomadalia attinet, quia illa in vtilitatem Ciuium pro quaestu proprio & quotidiana vitae sustentatione procurandis instituta sunt, summa foret iniquitas, si in his peregrinis seu non incolis permitteretur, panem illum & quaestum, quem hisce onerosis temporibus graui sudore ciues quaerere debent, ipsorum oribus praeripere. Quod quoque Sacra Sua Maiestas bene perpendit, & ea propter, ne propoliis civitatibus commeatus, nedum quae iam ad fora sunt aduecta, subducerentur, suo Regio Responso obuiam ire, & isti malo mederi clementissime voluit, dum illud ita sonat: Cum semper propolia Prouinciis & Ciuitatibus noxia & damnosa &c. &c. Ita Ciuitates contra eos, qui his contraveniunt, protestando sibi per expressum actionem reseruant.

Quod ad mensuram & pondus spectat, Goldinga & Bausca inferunt, quod genuinis signatis pondere, vlna, modis & Medimnis vtantur, ita vt cum Litthuanis ad modios, in quos quatuor Medimni numerantur, cum Kmethonibus autem ad Medimnos, quarum 6. pro vno modio quidem numerantur, sed ipsis dimidio plus pecuniae quoque soluitur, contrahunt. Hinc ipsis defraudatio hac in re imputari iure non potest.

Punctum 38 Ciuitates vniuersae pluribus refutare necesse non habent, quoniam anteriora tantum repetita, cum tamen post Laudum publicum anni 1662. ex controuersia Partium praesertim Nobilium Parochiae Bauscensis & ciuitates res decisa, & in subsequente Laudo publico anni 1645. in his decisis acquietum, imo ad factum die 25. Septembr. anno 1648. remissum ad futurum Regem, a Sacra Regia Maiestate Cracouiae in felicis coronationis Comitiis Anno 1649. die 12. Febr. cum & Delegati Gen. Equ. Ordinis adfuerunt, & aliquid obiicere non valuerunt, vniuersarum Ciuitatum Politiae in omnibus punctis, & clausulis non solum reassumtae, sed etiam clementissime confirmatae sunt, & sic ius radicatum & acquisitum habent, quare submississime petunt, vt circa ea libere conseruentur.

Ad punctum 40 respondetur, quod Status Ciuicus tales leges sumtuarias, quae liberos homines Germanicos decent, assumere non sint detrectaturae, vt hae leges tamen vicinis Ciuitatibus Prussiae & Liuoniae conformes sint, dum non deterioris conditionis sunt, & nunquam bonis se institutis subduxerunt, minimaque luxuria penes se deprehenditur.

Punctum 46 Ciuitatum votis respondet, & ab ipsis sollicitatur, vt Propolia & Kmethonum Braxationes pro venditione, ac mercimoniorum exercitium secundum Lauda publica vetantur, imo opificibus, qui ruri habitant (in Ciuitatibus enim certis Legibus sunt circumscripti) vltra artem suam opificiariam sibi quid arrogare & vsurpare non permittatur, coeteroquin ad suas a Principe Domino suo datas, & iterum confirmatas ordinationes neque minus ad Regium Responsum de die 12. Febr. 1649. in quo expresse continetur, quod contra praeuaricantes Regio Instigatori actio reseruaretur, prouocant.

Punctum 50 ita refellitur, quod Ciuitates arbitrentur extraneis actoribus licet singulis hebdomadibus ordinaria iudicia celebrentur, nihilo tamen secius si in tempore instant, terminos extraordinarios concedi. Quare a Gen. Equ. Ordine haec querela indebite instituitur, cum potius Ciuitates hac de re queri necesse habeant, & optandum sit, vt sibi a Nobilitate aequali modo iustitia administretur & in securo aditus ad omnes esse posset, dum quidam (inter quos tamen discretiores non sunt computandi) non nun-

quam decies pene interpellandi ſunt, antequam terminus impetrari poteſt, & ſi tandem comparent, non ſolum verbalibus iniuriis, ſed interdum realibus quoque afficiuntur.

Ad coetera Ciuitates de violentiis nonnullorum Nobilium contra ſe exercitis conqueruntur, cum non ſolum feneſtrarum eliſione, bombardarum periculoſa exploſione, in domus irruptione Ciues turbant, ſed etiam ciues peracto cultu diuino in areis templorum & in viis publicis verberibus excipere & alias iniurioſas & inexcuſabiles violentias in eos exercere non ſunt veriti. Quapropter Ciuitates ſolenniſſime proteſtando ſibi proſpiciunt, & tam erga Deum quam magiſtratus excuſatae eſſe volunt, ſi contra tales inſultus, & violentias tam iure naturae quam ciuili permiſſa defenſione vti cogerentur, annexo ſubmisſisſimo petito, ſi quando in hoc Conuentu publico hac in re nihil concluderetur, vt huic malo paterne proſpiciatur, & pro ſeruanda pace publica & ſecuritate eiusmodi violentiae ſub grauiſſima poena interdicantur. Denique ſupplicant humillime, vt Illuſtrisſima Celſitudo ſua defenſionem Ciuitatum non ſolum pro gratia ſua expendere, & iuſtis ſuis Grauaminibus medelam afferre, vt illae in omnibus punctis & clauſulis circa ſibi competentia iura conſeruentur, dignetur, ſed etiam quoniam quaedam puncta iam olim deciſa non attento Reſponſo regio de nouo repetuntur & Ciuicus Status ita deſpicatui habetur, copiam authenticam & Grauaminum a. Gen. Equ. Ordine formatorum & huius ad ea reſponſionis ex Cancellaria extradi permittat, quo ſtatus Ciuicus impoſterum coram futura Sacra Regia Maieſtate demonſtrare queat, quod non ſolum nulla ratio & conſideratio Regii Reſponſi habeatur, ſed Ciuitates quoque ita poſthabeantur, & vilipendantur. Quam gratiam demereri humillime ſtudebunt, Illuſtrisſimae Celſitudinis ſuae

Datum 1668. die 3. Maii Mitauiae. — *Submiſſisſimae & ſubiectiſſimae Ciuitates Curlandiae & Semigalliae.*

Ao. 1668. hanc praemiſſam Reſponſionem Vniuerſarum Ciuitatum Ducatuum Curlandiae & Semigalliae ad Grauamina a Gen. Equ. Ordine porrecta contra Ciuitates in Conuentu publico Deputatis traditam & exhibitam hunc Conuentum publicum quoque poſtea die 14. Martii Anno 1669. concluſum eſſe, appoſito Sigillo Ducali & manus meae propriae ſubſcriptione atteſtor

(L. S. D.) Guilielmus Heinrichs, Secretarius. mpr.

No. XXII.

JOANNES Tertius Dei Gratia Rex Poloniae &c. &c.

Significamus praeſentibus Litteris Noſtris quorum intereſt, vniuerſis ſingulis, productas coram Nobis eſſe Litteras papireas infra ſcriptas ex vero ſuo Originali Priuilegio tranſumptas, & ex fide Notarii publici iurati manu ſubſcriptas, & Sigillo ipſius proprio communitas, ſanas, ſaluas, illaeſas, omnique prorſus ſuſpicionis & vitii nota carentes: Confirmationem Sereniſſimi Michaelis, olim Anteceſſoris binarum Litterarum infra ſcriptarum, Ordini Ciuico Curlandiae & Semigalliae Servientium, in ſe continentes.

nentes; Supplicatumque Nobis esse, Nomine, & pro parte eiusdem Ordinis Ciuicis Curlandiae, & Semigalliae, quatenus easdem Litteras Nos quoque Authoritate Nostra Regia approbare, confirmare & ratificare dignaremur: Quarum Litterarum tenor de verbo ad verbum sequitur, estque eiusmodi. MICHAEL Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masouiae, Samogitiae, Kiouiae, Volhiniae, Liuoniae, Smolensciae, Seueriae, Czernichouiaeque. Significamus praesentibus Litteris Nostris, quorum interest vniuersis & singulis. Exhibuisse coram Nobis spectabilem Martinum Gamper Plenipotentem Ciuitatum Curlandiae & Semigalliae, Litteras binas papireas authenticas, primas quidem subscriptione manus Nobilis Guilhelmi Volcker Iudicii Goldingensis iurati Secretarii, & Sigillo eiusdem Iudicii munitas. Responsum infra insertum a Serenissimo Antecessore Nostro IOANNE CASIMIRO Ordini Ciuico Curlandiae & Semigalliae in Comitiis Coronationis datum. Alteras manu Notarii publici Nobilis Godofredi Fabricii subscriptas, sub Sigillo eiusdem Iudicii Ducalis, extractum certum ex Rescripto eiusdem Serenissimi Antecessoris Nostri in se continentes. Vtrasque sanas, saluas, omnique suspicione carentes. Supplicatumque Nobis humillime, vt easdem Authoritate Nostra Regia approbare & confirmare dignaremur. Quarum Litterarum, & quidem responsi Tenor hic sequitur. Responsum &c. &c.

Secundarum vero Litterarum haec est series. Extractum ex rescripto Regio, Regis Poloniae IOANNIS CASIMIRI Datum Varsauiae die XIII. Mensis Ianuarii Anno Domini MDCL. Regnorum Nostrorum Poloniae & Sueciae, anno secundo. Caeterum mirabamur Ducatum Illustrem bene constitutis Ciuitatibus & Oppidis, per tot aetatis seriem minus vti alibi, adaugeri, donec Nobis in felicis Coronationis Nostrae Comitiis pateret, Ciuitates, & ordinem ciuicum a nonnullis ex Nobilitate, Priuilegia sua, praecipue vero Mercaturas suas, extra genuinae Nobilitatis Dignitatem extendentibus, non leuiter premi, adeo, vt hinc eius nomine decisio nostra, quae iam in rem iudicatam transiit, Parte altera deferente causam, subsecuta sit. Etenim Reipublicae interest, vt Prouinciae & Ducatus in latum Ciuitatum bene constituendarum succrescant florem. Proinde benigne a sinceritate & fidelitate V. V. requirimus, in eo studium etiam suum defigant, quo vtriusque, tam Principis desiderii iusta debeatur ratio, & ciuicus ordo sui quoque desiderii fruatur solamine. Concordat cum vero suo Originali. Actum Mitaviae, die decima tertia Maii, Anno Domini Millesimo Sexcentesimo quinquagesimo quinto. Locus Sigilli Ducalis. Godofredus Fabricius Secretarius. Nos itaque MICHAEL Rex, praedictae supplicationi benigne annuentes supra insertas vtrasque Litteras, in omnibus punctis, clausulis, articulis, & conditionibus approbandas confirmandas & ratificandas esse duximus, vti quidem de plenitudine Potestatis Nostrae Regiae approbamus, confirmamus, & ratificamus, praesentibus Litteris Nostris, decernentes eas vim & robur debitae, ac perpetuae firmitatis, quantum de iure, semper obtinere debere. In quorum fidem praesentes manu Nostra subscriptas, Sigillo Regni & Magni Ducatus Lithuaniae muniri iussimus. Datum Cracouiae in Conuentu felicis coronationis Nostrae, die IX. Mensis Nouembr. Anno Domini MDCLXIX. Regni Nostri Poloniae Primo anno. Michael Rex. Locus Sigilli Regni Poloniae Maioris. Locus Sigilli Magni Ducatus Lithuaniae. Concordat cum suo vero Originali. Libauiae Anno 1670. die 27. Iulii. Valerianus Stanislaus

nislaus Giendmdn. Magn. Duc. Lith. Notarius &c. Christianus Voldenscher, S. Reg. Mtis. Polon. Notar. publ. iurat. manu mea. Locus Sigilli Ipsius ex fide impressi. Nos itaque IOANNES Rex supplicationi praefatae, vti iustae, & aequitati consonae benigne annuentes praeinsertas Litteras, vti nullo vitio obnoxias, in omnibus de tenore supra descriptis punctis, clausulis, articulis, & nexibus approbandas, confirmandas & ratificandas esse duximus. Vti quidem de Plenitudine Potestatis Nostrae Regiae (in quantum Iuri communi non repugnant, & vsus earum habetur) approbamus, confirmamus, & ratificamus praesentibus Litteris Nostris; Decernentes, & declarantes easdem vim & robur debitae, & perpetuae firmitatis obtinere debere. In cuius rei fidem praesentes Manu Nostra subscriptas, Sigillo Regni, & Magni Ducatus Lithuan. communiri iussimus. Datum Varsauiae in Comitiis Regni generalibus, die XII. Mensis Aprilis, Anno Domini 1677. Regni Nostri Poloniae Tertio Anno.

Joannes Rex.

Confirmatio Confirmationis Ciuitatis Libau seruiend.

(Loc. Sig. appensi Regni Pol.)

Matthias Martianus Ladowski, Reg. Mtis. Secretarius. mpp.

(L. S. app. M. Duc. Lithuan.)

No. XXIII.

Praemissa huius Protestationis charactere graeco tunc in Iudiciis Lithuanicis vsitato concepta & legi non possunt, hinc hic omissa.

Inter Nobilitatem & Ciuitates Ducatus Curlandiae & Semgalliae ante multos annos, quorundam grauaminum causa, imprimis autem, ratione Mercaturae, cum Peregrinis exercendae, controuersiam exortam, eamque postquam Nobilitas Priuilegiis & Iuribus suis; Ciuitates quoque itidem Priuilegiis suis, Indultis, & Rescriptis Regiis inhaererent, Anno Millesimo Sexcentesimo trigesimo sexto die nona Augusti in publico Conuentu Prouinciali tenore Recessus Prouincialis ad Declarationem Regiam remissam esse. Postea quoque Sm. Rm. Mtem. D. Vladislaum Quartum laudatissimae memoriae, Rescriptum tale dedisse; vt Differentia haec per amicabilem viam componeretur; nihilominus tamen Nobilitatem persvaderi ad id non potuisse; quapropter Illustrissimum & Celsissimum Curlandiae Ducem Fridericum pientissimae memoriae, negotium illud per Responsum quoddam Ducale, Anno millesimo sexcentesimo trigesimo octauo; vti & praefatam Nobilitatem, in alio Conuentu Prouinciali die vigesima Iulii anno millesimo sexcentesimo trigesimo octauo, per Laudum publicum ad decisionem Regiam remisisse. Post fata etiam Illustris & Celsissimi quondam Ducis Friderici, succedente in Regimen Illustrissimo & Celsissimo Curlandiae & Semigalliae Duce Iacobo, Dominos Commissarios Regios,

gios, in Ducatum Curlandiae & Semigalliae, certorum negotiorum obeundorum causa missos, in Declaratione suae Decisionis super grauaminibus a Nobilitate propositis, in resolutione praedicti Ducis Iacobi (qua Priuilegium illud, a defuncto Duce Friderico Antecessore suo Ciuitatibus extraditum, & Ordinationem Mercaturae in se continens, si quid in eo compertum fuerit, quod Iuribus Nobilitatibus repugnet, circa Reuisionem statutorum se aboliturum pollicebatur (Anno Millesimo Sexcentesimo quadragesimo secundo, die secunda Decembris, acquieuisse; ita tamen, vt Illustrissima Celsitudo Sm. Rm. Mtem. de hac Reuisione, & Priuilegii Examine mature certiorem reddat, vt, si ita visum fuerit, Sa. Ra. Mtas. suum quoque commissarium assignare possit, qui ad Iura Sae. Regiae Mtatis. attendat, prouideatque, ne Iuribus Supremi directique Dominii Sae. Rae. Mtis. praeiudicetur. Porro Anno Millesimo Sexcentesimo quadragesimo octauo, die trigesima Iulii, controuersiae huic dirimendae terminum certum, nimirum diem primam Mensis Septembris, inter Nobilitatem & Ciuitates, Mitauiensem Bauscensemque, per Laudum publicum praefixum esse, hoc cum reseruato, vt tota haec Lis, conciliatione non subsecuta, ex tunc, prout ex nunc ad Decisionem Regiam delata esse debeat. Praeterea causam hanc inter Nobilitatem Bauscensem & Ciues Bauscenses, qui rei iudicatae, post Laudum publicum ex Controuersia Partium obtentae, vt & Confirmationi Regiae, vtpote Iudicio Curlandico non subiectae, inhaeserunt Anno Millesimo, sexcentesimo quadragesimo octauo, die vigesima quinta Septembris, iterata vice ad futurum Regem deuolutam esse. Quinimo eandem Disputationem Anno Millesimo sexcentesimo sexagesimo secundo die quinta Augusti, Decisioni Regiae, saluo tamen Iure & Possessione vtriusque Partis, esse commissam. Attamen praefata Regia Commissione, nec non tot Laudis publicis Iuribusque Ciuitatum haud consideratis nec attentis, Nobilitatem saepius memoratam, in actu quodam abolitionis grauaminum suorum die decima tertia Iunii Anno Millesimo sexcentesimo octuagesimo quarto, vti quoque in Conuentu Prouinciali per Laudum publicum de dato Mitauiae die octaua Iulii eiusdem anni, in summum Sae. Rae. Mtis. tanquam supremi ac directi Domini praeiudicium & Ciuitatum damnum, iis nec auditis nec Iure victis, in hoc conuenisse: Quod Nobilitas in maritimis aliisque Ducatus istius Ciuitatibus, vti quoque in foris Ciuicis, etiam extra tempus nundinarum liberam cum peregrinis mercandi facultatem habere debeat. Quandoquidem autem in arbitrio Nobilium positum non sit, eiusmodi placita & Constitutiones, praememoratae Commissioni Regiae nec non tot Laudis publicis aliisque Iuribus Ciuitatum superius allegatis contrarias, concedere, idcirco Conuentionem hanc Laudumque publicum Ciuitatibus istius Ducatus, tanquam Parti tertiae, nec auditae nec conuictae, vllum praeiudicium creare non posse, praesertim cum non tantum Priuilegium & Ordinatio Politica Ciuitatum Curlandicarum a Serenissimis olim Poloniae Regibus confirmata sint, sed & Responsum Regium, Cracouiae die duodecima Februarii Anno Millesimo, sexcentesimo quadragesimo nono datum, & a moderna Maiestate Regia anno millesimo sexcentesimo octuagesimo confirmatum, in se contineat: Quod cum Ciuitates & Ordo Ciuicus, publicis oneribus & sancitis Legibus statutisque subiacere debeant, iustum etiam sit, vt quoque cum ipsorum scitu & consensu Leges & statuta condantur. Igitur memoratas Ciuitates contra Conuentionem addu-

ctam praefatumque Laudum publicum, in quantum sibi praeiudicant omnia Iura sua Iuriumque beneficia, praesertim possessionis, per omnia salua & integra sibi reseruando, quam solennissime, & in optima, qua fieri potest, Iuris forma, iudicialiter, protestari, cum primis autem Domino, Instigatori Regni, ob spretum interesse Regium, saluam actionem hisce reseruare, rogareque vt Protestatio haec iuriumque Ciuitatensium Reseruatio Actis Iudicii huius inseratur, sibique desuper Attestatum Iudiciale extradatur.

Finis & subscriptio vti praemissa legi non possunt propter characterem Graecum.

(L. S.)

No. XXIV.

JOANNES CASIMIRVS Rex Poloniae, Magnus &c. &c.

Significamus praesentibus literis Nostris, quorum interest, vniuersis & singulis, productas coram Nobis esse litteras vniuersales papyreas, Illustrissimae Curlandiae & Semigalliae Principis manu subscriptas, sigilloque Eius munitas, Nobilitati eiusdem Ducatus Curlandiae & Semigalliae datas, sanas saluas & illaesas, omnique suspicionis nota carentes, supplicatumque nobis est, vt eas authoritate Nostra Regia, quo maius robur vigoremque in absentia memorati Principis habeant, confirmare & ratificare dignaremur, quarum quidem litterarum tenor est, & sequitur talis:

Nos Dei Gratia JACOBVS in L. C. & S. Dux.

Notum facimus omnibus, Gen. Equ. Ordinis praesentes Deputatos pro Districtu Durben, Grobien & Vindau querentes proposuisse, quatenus in contrarium antiquarum Nobilitatis Consuetudinum & iurium Ciuitates Libauia & Vindauia peregrinos, si cum Nobilibus in nauibus vel extra naues, aut in ipsa Ciuitate aliquid negotiarentur, aut Nobiles aliquid ab his emerent, vel his venderent, multare, in tergum Nobilitatis auderent, & Nobis pro abolitione huius supplicasse. Si itaque preces veritate niterentur, nullatenus hoc Nos approbare possemus, idcirco vi huius Proconsules, Consules, & ciues Ciuitatum Nostrarum Libauiae & Vindauiae serio admonemus, & ipsis mandamus, vt Nobiles tanquam Nostros subditos in iuribus suis antiquis & consuetudinibus, in quantum hactenus in possessione fuerunt, a peregrinis in nauibus vel extra aut in ipsa Vrbe negotiari, emere vel vendere non molestent, neque illi peregrino, qui Nobis hac vel alia via consuetum telonium soluere obligatus est, vllam poenam imponere audeant, sed antiquum porro vt antea obseruari ducimus. In fidem sub apposito Nostro Ducali Sigillo & manus subscriptione consueta. Datum Mitauiae die 18. Martii Anno 1645.

Jacobus.

(L. S. / D.)

Cui

Cui ſupplicationi Nos tanquam iuſtae benigne annuentes praeinſertas litteras in omnibus eorum punctis & clauſulis, in quantum iuris & aequitatis eſt, confirmamus, approbamus & ratificamus, decernentes easdem vim ac robur debitae firmitatis obtinere debere. In cuius rei fidem praeſentes manu Noſtra ſubſcriptas Sigillo Regni communiri iuſſimus. Data Varſauiae die quarta menſis Februarii anno Dni. MDCLIX. Regnorum Noſtrorum, Poloniae & Sueciae XI. Anno.

Joannes Caſimirus Rex.

(L. S.)

Confirmatio Priuilegii Nobilitatis Ducatus Curlandiae ab Illuſtriſſimo eiusdem Ducatus Principe dati.

Evariſtus Ioannes Betricki.





